UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XXVII. De Contractibus reliquis, qui consensu fiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

exigua putabatur: neque vero licebat, vt refert Heraclides *lib. de poſitiis, in republi. Lacedæm.* Et Menander dicebat:

Ὀδυνηρὸν ἐστιν εὐτυχοῦντα τῷ βίῳ
Ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν.

Id eſt:

*Res eſt plena doloris, ei qui vixit beatus, ſucceſſore deſertam domum relinquere.* Reipublicæ quoque intereſt, vt ordinum & familiarum dignitas ſalua ſit, *l. 1. §. quamuis, & §. ſed etſi ſeruus, de ventre inſpiciend. in P.* & ne ſordidæ ſtirpes ſplendidiſſimis & ingenuis natalibus ſubrogentur, *le. ſuper ſtatu. de quæſt. C.* Et Auguſtus ad populum: nec domum, inquit, pupillorum, tutoribus vendere liceat, in qua defecit pater, minor creuit, in qua maiorum imagines, aut non videre fixas, aut reuulſas videre, ſatis eſt lugubre, *l. lex quæ tutores, 22. §. & tolerabilius, de adminiſtra. tutor. libr. 5. C. tit. 37.* Atque procul dubio valet lex impoſita rebus a priuatis, ne extra familiam res alienetur, *l. cum pater, §. libertis, de l. 3. l. peto, 71.*
2 *§. fratre herede inſtituto, eod. titu.* ¶ Rationes † porro, quæ conſuetudines fulciunt retractus, plures ſunt: ſed potiſſimum quod mores recepti, ſunt legum nerui, *l. de quibus. l. ſed & ea quæ, l. ergo, de lega. in P. §. ſine ſcripto, de iure natu. in P.* veluti ex conuentione ſeruantibus morem incolis: ſiquidem & conuentionem ineſſe
3 conſuetudini dixit Plato *in Cratylo.* ¶ Facit † & cauſſa proximitatis locum retractui potiorem, quæ & cauſſam potiorem habet ſuccedendi ab inteſtato deficientibus, *Maſuerius in ſua practica iudicior. in princip. verſ. ille tamen, tit. de retract. Boerius quæſt. 13. numer. 22.* Et quia poteſt efficere lex ne res ad extraneos alienatione perueniat, *l. 1. non licere habitator. metroc. & c. lib. 11. C. titu. 55. l. dudum, in fin. de contr. emt. l. vnic. ne Chriſtian. mancip. hæretico. vel iud. hab. C.* poterit & idipſum conſuetudo, quæ vim legis habet, *l. diutina, l. homo. l. ſi de interpretatione, & l. nam Imperator, de legib. P. ca. cum dilectus capi. cum olim, de conſuetud. c. certificari, de ſepult.* Et Cicero vel alius ad Herennium, *Conſuetudo eſt,* inquit, *id quod ſine lege, æque ac ſi legitimum ſit, vſitatum eſt. Ius videlicet moribus inſtitutum quod pro lege ſuſcipitur, can. conſuetu. 1. diſtinct.* Proximitas affectionem auget ſecundum gradum eius propinquiorem, de quo & reſponſum eſt, pacto fieri non poſſe, vt vlterior agnatus præferatur in bonis, *le. ſi fratres, 53. §. idem reſpondit, pro ſoc. P.* paciſcentis, omitto reliquas rationes, quæ communes ſunt cum ſucceſſione inteſtati proximiorum, ad quos ordine peruenit ſuccedendi facultas. Neque optio eſt hac conſuetudine reſeruata vendenti, vt poſſit remotiorem præponere, ratione eiuſdem ordinis præſcripti. Neque rigor iuris ſcripti, *l. dudum, C. de contrahen. emt. l. 1. commu. diuid.* qui improbare videtur has conſuetudines, conſideratur nunc, cum leges poſteriores derogent prioribus, etiam ex tacito vtentium contrario vſu, *l. de quibus, de legib.*

# DE CONTRACTIBVS RELIQVIS, QVI CONSENSV FIVNT.

## LIBER XXVII.

### De Locatione & Conductione. Cap. 1.

Inſtitutio. Lib. 3. tit. 25. P. Lib. 19. tit. 2.
C. Lib. 4. tit. 65. Decretal. 3. tit. 18.

1 *Locationis & conductionis nomine olim promiſcue vſi veteres, vt emtionis & venditionis.*
2 *Locatio vnde dicta.*
*Locator & conductor qui, eod.*
3 *Locationis definitio.*
*Res quæ locari poſſunt, eod.*
4 *Emphyteoſis quid.*
5 *Commiſſum ob defectum ſolutionis, penſionis, emphyteoſeos, an habeat locum in Gallia.*
6 *Libellarius contractus quid.*
7 *Emphyteoſis & locationis differentia.*
8 *Operæ locari poſſunt.*
*Redemtores qui dicantur, eod.*
9 *Mercenarii qui.*
10 *Merces locationis certa eſſe debet.*
11. & 12. *Locare & conducere quæ perſonæ poſſint vel non.*
12 *Milites conducere bona aliorum prohibentur.*
13 *Eccleſiaſticæ perſonæ non poſſunt eſſe conductores bonorum ſecularium.*
14 *Magiſtratus conductores eſſe non poſſunt.*
15 *Tutores curatoreſve conducere non poſſunt.*
16 *Famuli non poſſunt relinquere temere dominos, ſine illorum iuſſu.*
17 *Locationi conſenſus dat legem.*
*Locatio tacito conſenſu quando & quomodo renouatur, eod.*
18 *& ſeq. Locati & conducti actiones quæ.*
*Locati pro quibus datur, eod.*
19 *Colonus vendens rem quam colit, furti damnandus.*
*Locare inuitus non cogitur dominus ſuam rem, eod.*
20 *Iuratur in litem pro locatione, & quando.*
21 *Conductor non ſoluens mercedem expelli poteſt a re locata.*
22 *Conductor mercedis, vel penſionis remiſſionem quando, & pro quibus petit.*
23 *Sterilitate quando remittatur penſio conductori.*
*Sterilitas fructuum quomodo metienda, eod.*
24 *Animalia varia quæ vaſtarunt ciuitates & oppida, & depopulata ſunt fructus.*
25 *Peſtis cauſſa migrans, num renuntiet conductioni, vel ſoluat mercedem.*
26 *Domus a laruis vel ſtrigibus agitata, an renuntiari poſſit a conductore ſine mercede.*
27 *Locatorum quæ reparanda vel reſtituenda vtrinque.*
28 *Locator operis quandiu de vitio eius teneatur.*
*Operis vitium quandiu obliget eum qui fecit, eod.*
27. & 29. *Operis aduerſi periculum quid & ad quem pertinet.*
30 *Nauta de iactu mercium quando teneatur.*
31 *Ex conducto actio cui detur, & pro quibus.*
32 *Conductor rei, ſi frui vel vti ea non poſſit, ad quid agat.*
33 *Locans prædium, vbi mala herba, ad quid teneatur.*
34 *Conductor quibus ex cauſſis, tempore conductionis re conducta expelli poteſt.*
35 *Conductor nulla quantumuis longæua poſſeſſione, præſcribere rem locatam contra dominum poteſt.*

LOcationis † & conductionis nomine promiſcue, & pro eodem antiqui vſi ſunt, *l. idemque de actionib. P.* ſicut & emtionis & venditionis, *l. veteres, eo. tit.* Affinis autem cum ſit emtioni locatio, & in bona fide *l. 2. C. de loca. §. actionum de actio.* & origine iuriſgentium, *le. iuriſgentium, de pact. P. l. . loca P.* & in aliis, *l. 2. loca. P. §. 1. eo. tit ap. Iuſtinia.* ſubiicienda eius emtioni tractatio: & ea percurrēda quæ ab emtione etiam diſcedunt & propriam huic contractui ſubſtantiam conſtituunt. ¶ A † loco locationem & collocationem fieri, tradit Varro *libr. 4 de lingua Latina,* vbi quicquam conſiſtit locus, inquit. Ab eo præco dicitur locare, quoadusque id emitur, quoad in aliquo conſiſtit pretium: inde locarium, quod datur in ſtabulo & taberna vbi conſiſtant. Sic loci muliebres, vbi naſcendi initia conſiſtunt, &c. Vt certe ratione definitæ mercedis, quia in definitione locatum ſit pretium, videatur dicta locatio, *l. 2. loca. P.* qui rem vtendam interuentu pretii dat locator dicitur: qui accipit pretio dato conductor, *vide Budæum, in annotationib. priori. ad Pand. in l. 2. ad leg. Rhod. de iac.* ¶ Erit † autem eius ſubſtantialis finitio, vt ſit, vſus rerum vel operum mediante mercede certa ex conſenſu conceſſio. Ex rebus pendet diuiſio locationis. Res porro quæ in ea conſiderantur, ſunt res ipſæ, quarum vſus locatur, & merces. Res omnis quę vendi poteſt, & locari poteſt: exceptis ſeruitutibus realibus, *l. locare, 47. locat. P.* cum tamen mixtæ locentur, & vſus fructus, *l. arboribus, de vſufruct. P.* demto vſu qui perſonæ adhæret, *§. item is cui, & §. ſed ſi cui, de vſu & hab.* Locare poſſunt ideo eccleſiaſticæ perſonæ fructus beneficiorum, vſque ad decem annos, *c. 2. de loca. ap. Greg.* quia illæ ſe fructuarias eſſe arbitrātur, *per glo. in c. præſenti de offi. ord. in Sex. vide Boe. q. 235.* ¶ Poſſunt res alienę locari, *l. ſi quis domū, 9. & l. ſi tibi alienā, 7. loc. P.* ſed maxime ſi ꝙ ius in illis locanti ſit: niſi aliud cōuenit, *l. nemo, C. de loca.* Quare nemo ꝓhibetur rem q̄ conduxit fruendā alii locare, ſi nihil aliud cōuenit *l. nemo ꝓhibetur, 6. C. loc. l. Moſchis. §. ſi. de iu. fiſci,* æque tamē idoneo.

*l. aquiſ-*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*l.aquiſſimum.§.fin.& l.ſed & ſi quid,§ mancipiorum,de vſufru l.non*
*aliter.de vſu & habita.* Res propria conduci non poteſt,*l.qui rem*
*propriam,20.de loc.C.l.ad probationem,23.C.eod.tit.* quare ſi locata
res incipit eſſe conductoris,ceſſat locatio,*l.ſi quis fundum,10.§ fi.*
*locat.in P.* poteſt tamen emtor fundum, quem emit, conducere
a vendente, donec pretium exſoluat, veluti celebrata emtione
& locatione ſub conditione, *l.ſicut emt.25.§.fin.cum 2.ll ſequent.*
*loca.P.* locantur & fructus decimarum, *c.2.de loc.P.* ¶ Locantur
4 res † mobiles & immobiles,in perpetuum & ad tempus,*l.1.ſi a-*
*ger vectigal.vel emphyteo.pet.P.* Dum in perpetuum fit contractus
medius inter emtionem & locationem, videlicet emphyteoſis,
*l.1.de iure emphyt. C.§.adeo, locat.fi.* quæ ex ſcriptura, quam deſi-
derat, prout placuerit contrahentibus naturam & ſubſtantiam
capit,*dict.l.1.& 2.de iure emphyteo. C.vide Boerium de longi tempo-*
*ris locatione, dec.234.* datur enim res per eam perpetuo fruenda
retenta certa annua penſione,& iuribus prælationis, vel præſta-
tionis quinquageſimæ partis, iure ciuili, vel alterius partis pre-
tii, iure conſuetudinis definitæ, dum res ab emphyteuta diſtra-
hitur,*l.3.& fin. C.de iure emphy.* legibus quoq; traditioni rerum
appoſitis conſeruandis, cum neceſſitate præſtandi penſionem
annis ſingulis:imminente alioquin ceſſatione ſolutionis per tri-
ennium in rebus ſecularibus, *leg.2.de iure emph. C.* & per bienni-
um in eccleſiaſticis,*ca.potuit,de loc.§.ſcire autem oportet,de non a-*
*lien.reb.eccleſiaſtic.in Auth.col.2.* rerum datarum ab emtione,quę
5 vocatur ius commiſſi. ¶ Quanquam † in Gallia defectus ſoluti-
onis,cenſus vel penſionis non inducat ius hoc commiſſi niſi no-
minatim in traditione fuerit cautum. *Philib Bugnon.in legib.ab-*
6 *rogatis.* ¶ Emphyteoſi † quoq; accedit locatio rei immobilis ex
contractu, vt dicunt, libellario, quo res datur vtenda ſub annua
mercede a viginti nouem annis vſq; ad viginti nouem annos, &
7 ſic in perpetuum. ¶ Notandum † autem in multis differre, *quod*
*& not Bar.conſi.161.* emphyteoſim a locatione:ſed maxime quod
emphyteotę non,*l.quicunque,de fund.patrimon.lib.11.C* fit remiſ-
8 ſio penſionis ob ſterilitatem. ¶ Locantur † etiam operæ ſed
non in perpetuum,*l.3.de liber.homi.exhib P.l.Titio centum,§.2.de*
*condit.& demonſt.vide Domi. Boerium in additio. ad tractatum de*
*auctori.magni conſilii,nu.4.* quoties quid mediante mercede faci-
endum datur,*in leg item ſi pretio non ſoluto,25.verſic.quoties, locat.*
*P.l.naturalis,§.at cum do,de praſcript.verb.P. §.item quæritur,de lo-*
*cat.ap Iuſtinia.* dicebantur redemtores, qui certa mercede ali
quod opus ſuſciperent certo pretio faciendum, cuiuſmodi plu-
res hodie ſunt artifices lignarii materiarii,architecti,& id genus
alii,qui vulgo, *entreprennurs de Peſogne*, ἐργολαβοῦντες, *vt in l.item ſi*
*pretio,§.2.& l.ea lege,§.1.locat.* Sunt & redemtores vectigalium
conductores,*l.Cæſar,de publ.& vectig.P.* vocant, *fermiers.* Feſtus
libris de verborum ſignificatione: *Redemtores proprie,* inquit, *at-*
*que antiqua conſuetudine dicebantur, qui quid publ.ce faciendum*
*aut præbendum condixerant,effecerantq;:tum demum pecunias acci-*
*piebant. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At nunc ii*
*dicuntur redemtores,qui quid conduxerunt vtendum præbendumq;.*
Hęc Feſtus.Salaria mercedes operum eſſe conductorum viden-
tur:qualia conſtituuntur nautis,*l.hoc ita,§.ſed ſi tota nau.caupones*
*ſtab.&c.P.* & aliis perſonis, vel conuentione, vel lege, vel con-
ſuetudine, *Bart.in l.1.de var.& extraord cogn.l excepto, C.locat.*
vel officio iudicis, *in dict.l.1.de variis & extraord.cog.l.3.de proxe-*
9 *neticis,P.* ¶ Cicero † eos qui ſuas operas locant,mercenarios vo-
cat, *Cicer.1.Officior.* Græci θῆτας vocant, poſtremi ordinis in po-
pulo homines, ſecundum Plutarch. *in Solone & Suida.* Quam-
uis Dionyſius Halicarnaſſæus ſcribat, θῆτας Athenis appellatos,
quos Romani dicunt clientes Plutarchus nominat πελάτας. Pla-
to, eos qui pretio roboris vim vendunt, & exercent præmio, a
mercede mercenarios dictos tradit, & complementum eſſe ci-
uitatis paucis contentos, & deos vt loquitur,inter paucula ob-
ſonia venerantes, *Plato 2.de repub.* Merces, vt notat M.Terenti-
us Varro, a merendo, quod manufactum erat, & datum pro eo
manu pretium,a manu & pretio, *Varro 4.de ling.Lati.* Marcellus
dicit mercenarium,eum qui operas ſuas locauerat, *in l.reſpicien-*
*dum,§.furta domeſtica,de pœn.in P.* Idipſum Paulus *in l.ſi libertus,*
*91.de fur.in P.* Ex parte eius qui locat, res vel opera datur in loca-
10 tione: ex parte conductoris, merces. ¶ Itaque † merces etiam
pro ſubſtantiali conſideratur in locatione, qua non interueni-
ente, locatio non eſt, *l.2.loca.P.l.naturalis,§.at cum do,de præſcri.*
*verb.P.l.1.§.ſi quis ſeruum,depoſit.P.§.1.de loca.* debetque eſſe ea
certa, *l.ſi vir vxori,de donat.inter vir.& vxo.P.l.ſi conuenerit com-*
*muni diuidun.* idonea & ſatis magna, vt contractus hic diſtingua-
tur a donatione,*l.ſi quis conduxerit,49.loca.in P.l.ſicut emtio,25.eo.*
quæ gratis fit:licet tamen in mercede definienda maiore vel mi-
nore contrahentibus,vt in emtionibus,ſe circumſcribere, *l.item*
*ſi pretio,25.§.ſi.loc.in P.l.in cauſſa,§.idem Pomponius,de minor.25.*
*an.P.* At alieno arbitrio generaliter promiſſa non conſtat: ſi ta-
men in alicuius arbitrium definitio deferatur, ſi ipſe ſtatuat, ſta-
bit locatio, ſi non definierit, nequaquam, *l.ſi merces,28.loc.P.*
Merces in pecunia, vt in pretio conſiſtit, *§ præterea, de loca.gl.&*
*Doctores,in l.1.§.ſi quis ſeruum,depoſit.P.& in §.1.de loca l naturalis,*
*5.§.at cum do, de præſcrip.verb.P.* verum & eius nomine aliæ res
dari poſſunt, *Africanus in l.& hæc diſtinctio,38.§.ſi.loca.P.l.ſi olei,*
*C.eo.ti.* Exſtat formula edicti in Nouellis de mercede hęc: *Omnis*
*artifex,aut mercenarius, aut mercator, ſecundum formulam operas*
*locato, mercesue vendito: nam ſi quid amplius locauerit, pœna tripli*
*ſubiacebit, in Nouell.Iuſtini.122.* ¶ Perſonæ † a quibus locatio & 11
conductio fiat, conſiderari ſubinde debent,vt inſtrumenta quæ
materiam ad formam reducunt.Capaces erunt itaq; generaliter
locationis & conductionis qui emere, vendere & contrahere
poſſint:quamuis aliquando, qui vendere res prohibita alienati-
one non poſſunt,poſſint tamen locare eaſdem, vt in vſufructua-
rio conſtat,*l.arboribus,de vſufruct.P.* & decimis. Tranſit & in he-
redes locatio fructuum & rerum vtrinque, *l.viam veritatis, C.de*
*loc.§.fin.eo.tit.ap.Iuſtinia.* ¶ Prohibentur † tamen conducere re- 12
ditus bonorum aliorum milites,ne auocentur a meditatione ar-
tis militaris, ruſticis operibus, nundinationibus, & quæſtui in-
tenti: permiſſa tamen rerum conductione,quæ ad vitæ ſubſidia
quotidiana,& militiæ neceſſaria ſunt, *in l.milites,31.& ibi gl.C.de*
*loc.* alioquin & miles qui conduxit, & qui illi locauit pœnis a Iu-
ſtiniano ſubiiciuntur, irrita locatione, *l.fi.C.eod.* niſi forſan loca-
tor ignorauerit conductorem eſſe,*l.ſi ignorans,52.eo.tit.in P.* mi-
litem.Interdictum quoq; curialibus aliena prædia conducere, *l.*
*curialis,30.C.loca.* permiſſum tamen ſuccedentibus in condu-
ctione ab aliis facta conductionem retinere, *l.4.de decurion.P.*
¶ Quanto † magis clericis hæc conductio interdicta eſſe debe- 13
at, qui eiuratis rebus & negotiationibus ſecularibus omnino
Dei obſequio ſe manciparunt, nemo eſt qui non norit, ne a mi-
litia eccleſiaſtica auocentur.Sic in conſilio Maguntino inter ne-
gotia ſecularia, a quibus abſtinere iubetur perſona eccleſiaſtica,
& illud eſt, conductores ſecularium rerum, aut procuratores eſ-
ſe *in capit.1.ne cleric.vel monach.ſecula.nego.ſe immiſce.facit.can.*
*negotiatorem,& can.fornicari.88.diſt.* Carolus 9.rex noſter,men-
ſe Ianuarii,anno 1572. *in conſtitutione eius anni, du faict de la iuſti-*
*ce & rebelles aux officiers d'icelle arti.* 8. edicto cauit, ne poſthac
nobiles, vel magiſtratus regii, vel eius officiales recta via,vel ob-
lique per alios, fructus ſacerdotiorum conducerent, neve loca-
tionem aliis faciendam impedirent: quod ſi amoliti fuiſſent,vel
feciſſent, adimit nobilibus priuilegia & inſignia nobilitatis, &
immunitatem a vectigalibus & cenſibus, & vt pagani cenſibus
inſcribantur, eorumq; res ſtatuit. ¶ Officialibus † autem ſeu ma- 14
giſtratibus regiis, indicit pœnam ne poſthac vllo regio officio
fungi poſſint, irritas & nullas renuntians illis factas conductio-
nes. Principalibus etiam conſtitutionibus cauetur,ne ii,qui pro-
uincias regunt, quive circa eos ſunt, negotientur, *l.principalibus,*
*33.de reb.cred.P.l.1.de contract.iudi.C.l.ſcriniarios,de numerar.& a-*
*ctuar.lib.12.C.* ¶ Rurſum † qui tutores facti ſunt, aut curatores, 15
priuſquam officio fungantur, conducere aliquid a Cæſare pro-
hibentur, *l.ſi cui locauero,51.§.Modeſtinus, loca.P.l.vnic.ne tutor.*
*vel cur.reipub.vel cond.C.* Neq; etiam idoneus conductor,vt di-
ximus,rei ſuæ quiſquam eſt, *leg.qui rem ſuam loca.* ¶ Sed † & ex- 16
ſtat conſtitutio Caroli 5. Imperatoris edita anno 1548. in comi-
tiis habitis Auguſtæ Vindelicorum,quæ ſtatuit *in c.23.* ne famu-
li qui nobilibus & equitibus inſeruiunt, poſſint ab alio condu-
ci,neve illi heros poſſint relinquere, vt ſolent leui negotio ab a-
liis corrupti, niſi illi teſtimonium prius habeant honeſtæ domi-
nicæ miſſionis, quod teſtimonium ſi herus teſtato interpellatus
recuſauerit concedere, tunc liceat poſtulare a magiſtratu eius
loci. Quod & in conſtitutione pacis publicæ Cæſaris repetitum
eſt, *ca.24.& 25.* Simile edictum aliquando a noſtro rege Gallo-
rum promulgatum iuſtiſſimis de cauſſis, hocq; obſeruari expe-
diret ob artes & malitiam famulorum & ancillarum. ¶ Conſen-
ſus † inſuper huic conuentioni formam præſcribit, ſecundum 17
quam vel experiri vel excipere oportet. Conſenſus, & vſus, qua-
litatem & modum, & mercedis quantitatem determinat, nulla
verborum ſolemnitate neceſſario requiſita, *l.1.locat.P.§.1.ap.Iu-*
*ſtin.* & ſine ſcriptura, *l.contractus locationis,24.eo.tit. C.l.qui in per-*

*petuum,eod.tit.* Cōſenſus porro,vel expreſſus eſt ſi quid nomina-
tim cōuenit: vel tacitus, veluti quando cenſetur renouata cōdu-
ctio,ſi locator patiatur in ruſtico ꝓdio,vel vrbano eſſe vltra prio-
rem temporis locationis conſtitutionē conductorem aut inqui-
linum,aliqua tamē inter hæc prædia diſtinctione adhibita,*iuxta
l.itē quæritur,14.§.qui implere, & §.in vrbanis, & l. qui ad certum,
15.loca.in P.l.legem quidē 16.eo.C.* Conſenſu vel pure,vel ſub con-
ditione locatio fit. *l.ſicut emtio,23.eod.ti.P.* vel pacta adhibentur,
vt quando opus aduerſione locatū,quod donec approbetur,cō-
ductoris periculo eſt, *l.opus quod auerſione,36.& ſeq loc. P.* ſi di-
ctum locando conductori, ignē ne habeto, vel ignem innocen-
tem habeto, *l.videamus,12.§.1.locati,P.* ne in villa vrbana fœnum
cōponeretur, *dicta l.videamus,§.fin.* ne mulæ locatæ vltra certum
pondus onerentur *l.qui inſulam 33.§.qui mulas, locat.P.* Sunt his
aliæ ſimiles conuentiones quæ obſeruādæ, in locatione decidē-
18 da, ſunt. ¶ Ex † quibus actionis modulus & iudicium colligitur,
ex locato,vel cōducto ſunt enim duæ iſtæ actiones priore locāti,
altera conductori data, *l.lex conducto,16.eo. P.§ de locat.ap.Inſtin.*
Primū enim quod conuenit inter contrahentes, dehinc mos re-
gionis inſpicitur, *l.circa locationes,19.& l.legem,16.C.loca.§.condu-
ctor eo.* Et dictum non propoſitum in mente retentum, *l.cum in
plures,62 §.locator eod.tit.P.* & ſi conductor omnia ſecundum le-
gem cōuentionis non agat,vel ſi id quod prætermiſſum eſt ex æ-
quo & bono non præſtat, ex locato actione conuenitur, *d.l.cir-
ca,& l.ſi merces,28.§.conductor.l.videamus,§.ſi.eo ap. Iuſt.* Item, vt
accepta mercede teneatur operas,quas locauit,pręſtare, *l.ſi ii,qui
a vobis. C.de locat. P.* & vt finita locatione rem reſtituat liberam,
vt accepit, & ab omni alterius cōtrouerſia ſolutā *l.videamus,12.
19 §.qui vinum de Campania,eo.P.* ¶ Meminit † Gellius, colonū per
quē poſſidemus, qui a domino fundum conduxerat,& vendide-
rat & ita poſſeſſionē fundi interuerterat domini, furti condēna-
tum: quia ſurripi & condici poſſeſſio poſſit, quemadmodum re
mobili ſurrepta. *Aulus Gellius,lib.11.c.18.* Nullū enim ius retenti-
onis prætextu dominii,& proprietatis conductori eſt, cum nec
de proprietate agere poſſit, niſi reſtituta poſſeſſione, *l.ſi quis cō-
ductionis,25 C.loca.* Neq; etiam dominus, niſi conuentione ali-
qua aſtringente, alicui inuitus rem ſuam locare cogitur, *l.ne cui,
32.C.eod.tit.* exceptis prædiis fiſcalibus, *l.congruit,& l.prædia,§.ſi.
de locat.fiſcal.prædio.li.11.C.* Sicuti & pro re mobili locata, ſi con-
ductor ſurripiat,& locati & furti actio competit, *Paul.in l.ſi loca-
20 tum,de locat.P.* ¶ Atque † ſi recuſet conductor locatam rem red-
dere, in litem iurat locator, vt ſecundum iuramentum damne-
tur conductor:agit & pendente locatione, *l.ſi cui loc.uero,51.§.1.
eo.tit.P l.in actionibus,de in lit.iuran.P.* ſi ſeruum locatum condu-
ctor vulnerauerit & nolit vti Aquilia, *l.ſi vulnerauerit,46.eo.P.* ſi
deteriorem rem reddat, vel deteriorem ab alio reddi patiatur, *l.
videamus,12.§.item proſpicere,l.ſi merces,28.§.conductor,l.in lege lo-
cationis,32.l.ſed addes,21.§ illud,& §.ſi inquilinus eo.tit.P.* ſi deſtru-
xerit ædificia,vt reædificet, *l.cum conductorem,29.C.eo.* ſi arbores
exciderit vicinus,ob inimicitias conductoris,vel ipſe conductor
conueniri poteſt ex locato, ex lege Aquilia, ex lege duodecim
tabularum arborum furtim cæſarum, & interdicto quod vi, aut
clam, cum electione tamen vnius tantum *l.ſi merces,28.§.culpa,
21 eo.P* ¶ Poteſt † & conductor cogi mercedem placitam ſoluere,
& non ſoluens expelli a re locata, etiam propria auctoritate, *l.
pen.& l.ſi in lege locationis,§.colonus loca.P.* ſi ceſſauerit in ſolutio-
ne per duos annos, *l.quæro,§.inter locatorem,eod.P. facit ca.potuit,
de loca.l.2.de iure emphyteo.* Quanquam de expulſione nihil no-
minatim fuerit conuentum *dict.l.quæro,§.interdum.*

22 ¶ Tuetur † tamen ſe exceptione aduerſus hanc petitionem
mercedis conductor,ſi re locata vti non potuit ſine culpa ſua: vt
ſi domus, vel alia res conducta euicta ſit, in quo caſu fit ſubdu-
ctio mercedis pro tempore, quo vti re quis non potuit, *l.ſi do-
mum §.fin.loca.P.* ſi vi tempeſtatis fructus conſumti ſunt: ſi labes
contigerit illis, ſi vredo, ſi vis fluminum, ſturnorum, graculo-
rum incendii,terræ motus incurſus hoſtium, *in l.ex conducto,§.
ſi vis,eod.* locuſtarum exeſio, *l.excepto,18.C.eod* & id genus ſimilia
ſi acciderint, quibus plus quam tolerabile ſit, læſi fuerint fru-
23 ctus, *l.ſi merces,28.§.vis maior. loca.in P.* ¶ Fit † & propter ſum-
mam ſterilitatem remiſſio, non etiam ſi cum vbertate poſſit cō-
penſari *l.licet certis,8 de locat. C.l.ex conducto §.ſed etſi,& l.ſi vno
anno in princi.& §.vbicunque.eod.in P.cap.propter ſterilitatem,3.
eod.ap Gregorium.* Sterilitatem porro fructuum,quidam ad mo-
rem loquendi,& conſuetudinem referunt:quidam,dum nec ſe
men colligitur *gl.in d.l.licet,per dictos §.ſed etſi,& §.vbicunque,*
quod poſtremum magis probarem, cum nec exiguitas fructuū
ad remiſſionem penſionis pertineat, *d.l.ſi vno,§ cum quidam,* cui
accedit Panormita.dum ait,ſterilitatem fructuum dici, dum cō-
ductori fructus percepti,ſoluta penſione non ſufficiunt,vt dece-
ptus non videatur vltra dimidiam iuſti pretii, *l.anor.in c.ſi propter
ſterilitatē,de locat.* Et certe ſterile dicitur σεῖεϱν ἄκαρπον, quod nul-
lum fructum fert. ¶ Ceterum † exempla minutorum animaliū, 24
quæ ſubuerterunt, vel vaſtarunt oppida & fructus aliquando,
lege Plinium,lib.11.cap.29.& c.40.& de cœli tempeſtatibus e-
undem,lib.18 c.28.circa fin Subinde ſi non poſſit commode ha-
bitari in domo locata,remiſſio,non petitio fit mercedis,vel ſi iu-
ſto timore inde conductor migrat, *l.habitatores,in princ.& § ſi.eo.
P.* ¶ Num † autem ſi peſtis ſuperueniat in loco eius pagi,in quo 25
conducta domus, poſſit repudiari locatio, & peti remiſſio pen-
ſionis. ¶ Vel † ſi domus infeſtetur a laruis & ſtrigibus non expli- 26
co,quando iam abunde & elegantiſſime Arnoldus Ferronus,ad
§.3 conſuetu Burdegalen.titulo de locato,explicauerit: & Chri-
ſtophorus Porcius *in §.ſi.de loca.* & Guido Papæ *deciſ.630.* ¶ In
ſumma † tamen in contractu locationis, veniunt reparanda & 27
conſideranda, quæ dolo vel culpa alterutrius contrahentium
contingunt,non autem quæ ex caſu cui reſiſti non poteſt, *l.iudi-
cio,28.C.locat.l.qui mercedem,43.& l.ſeq eod.in P.* culpa & negli-
gentia ex facto conductoris circa rem, & in re cuſtodienda, *vt in
l.nautæ nautæ caupo.ſtabula &c.P.* vt ex parte locatoris,ſi alienam
rem vel vitioſam locauit *l.ſed addes § 1.& l.cum in plures,§ ſeruum
meum locat.P.* & ſic de ſimilibus: remittitur & penſio, ſi vti frui
fundo non poteſt locato conductor, *l.ſi fundus,36.§.ſi.& ll.ſe-
quen.eo.loc.P.* ¶ Agitur † & ex locato contra eum, qui opus faci- 28
endum conduxit, vt faciat, & ſi fecit de operis vitio teneatur, vi-
delicet ſi opus perficiendum conduxit, non etiam ſi diariam o-
peram conduxit, *l.ea lege,§ locaui,loca.P.* Et in operibus publicis,
qui ædificat heredeſque eius vſque in quindecimum ab opere
perfecto annum, tenetur de vitio reſarciendo, ſi quod in opere
ratione ædificii vitioſum acciderit, *l.omnes,in 1.de operibus pub.P.*
Diſtinctionem aliam quoq; huic rei addit Florentinus. ¶ Opus,
inquit,† quod aduerſione, *alias auerſiones: & ita habet textus Flo-* 29
*ren.ſic etiam legitur in l.qui efficit,62.§.2 ff.de contra.em.res in auer-
ſione emta. Breder.* locatum eſt, donec approbetur conductoris
periculo eſt:quod vero ita conductum eſt,vt in pedes menſuraſ-
ve præſtetur, eatenus conductoris periculum eſt, quatenus ad-
menſum non ſit, & in vtraque cauſſa nociturum locatori, ſi per
eum ſteterit, quo minus opus approbetur, vel admetiatur, ſi ta-
men vi maiore, opus prius interciderit, quam approbaretur,lo-
catoris periculum eſt,niſi aliud actum ſit, *in l.opus,36.& l.ſequ.&
de fortuito caſu,in l.Martius,61.& l.ſi loca P.* Lex eſt apud Plato-
nem, *Si artificum aliquis in tempore ſtatuto opus per malitiam non
perfecerit, primum Deo pœnas dabit: deinde hac lege reus factus, o-
ris quod in tempore non fecit,mercedem perſoluat:ac ab initio rurſum
in eodem ſpatio temporis opus gratis efficax, Plato 11.de Leg.* ¶ Ex lo-
cato † quoque agitur contra magiſtrum nauis, pro mercibus a- 30
miſſis ex iactu facto,laborante naue,ſi merces vehendas locaue-
rit,deniq; cum reliquis quorum merces ſaluæ ſunt, vt contribu-
ant ex lege Rhodiorum, *l.2.in prin.& §.cum in eadem naue,& l.
deprecatio,9.ad l.Rhod.de iac.lib.14.P.tit.2.* ¶ Ex † conducto datur 31
actio conductori,ſi quid ſua interſit,vel ſi damnum ex locatione
ſentiat, ex re locata: vt quia vitioſa dolia locata ſint,vnde vini ſui
iacturam ſit paſſus, *l.ſed addes,21.§ ſi quis dolia, locat.P.* ¶ Si † res 32
locata aliena euicta ſine dolo malo & culpa locatoris ſit, vel pe-
rierit,ex conducto repetitur merces,ſi data ſit, *l.ſi fundum loca.P.
l.ſi quis domum,9.eo.* vel vt ei præſtetur, frui quod conduxit lice-
re. Et ſi dominus non patiatur, vt teneatur dominus æque com-
modam habitationem,vel rem præſtare, *l.ſi quis domum,9.loc.P.*
vel ſi culpa locatoris non poſſit frui, quod rem alienam ſcienter
locauerit, ad id quod intereſt condemnetur, *l.ſi tibi alienam,7.eo.
P.* Idipſum fit, ſi vendiderit ædes locatas, vel fundum: & emtor
expulerit conductorem, *l.ſi merces,28.§.qui fundum loc.eo.P.* non
enim tenetur colonum, vel inquilinum pati & retinere emtor
prædii:niſi pactū cum venditore factū fuerit *d.§.qui fundū l.em-
tore,C.de locat.l.qui fundū,eo P.* Si cōmode non poſſit habitare in
domo cōducta,conductor hac actione etiā aget,vel ad mercedis
reputationē & imminutionē,vel licebit illi relinquere habita-
tionē *d.l.ſi merces § ſi vicino,& l.habitatores l.ex cōducto,16.loca.P.*
¶ Si paſcuū † locaſti,in quo mala herba naſcebatur, ſi inde peco-
ra demortua vel deteriora facta ſint,quantū intereſt,petet cōdu- 33
ctor,ſi ſciēs locator ita locauerit:ſi inſcius a.mercedē non petet,

*l.ſed*

*l. ſed addes, 21. §. ſi dolia eo. l. penul. de ædil. actio. C.* Agit & conductor, vt ei liceat efferre commode quod intulit, *d. l. ſed addes, §. ſi inquilinus.* Agit & ſi a locatore indebite a fundo vel re locata expulſus eſt: & pœnam, ſi qua eſt adiecta, vt rupta fide contractus,
34 conſequatur, *l. ſi de fundo 15. C. de loc.* ¶ Non † enim a locatore ſoluta mercede expelli poteſt, niſi aut dominus propriis vſibus domum neceſſariam ſibi eſſe probauerit, aut corrigere domum maluerit: aut conductor male in re locata verſatus ſit, *l. æde 3. C. loca.* Obſeruato tamen, vt ſi neceſſitas proprii vſus ſuperuenerit locanti poſt conductionem, & tempore conductionis non fuerit præuiſa, vt ſi domus alia corruit, vel vxorem duxerit poſtea, aliter non habetur ratio neceſſitatis propriæ quæ præuideri potuit, *glo. & Doct. in d. l. æde, per l. ſi is a quo §. fin. & l. ſeq. vt in poſſ. legat. P. de ætate, §. ex cauſſa, de interrog. actio.* Sicut & in refectione non licet, niſi neceſſaria fuerit refectio, alioquin ad omne damnum, & quanti intereſt inquilini tenetur dominus *glo. in dict. l. æde per l. qui inſulam, & l. hæc diſtinctio loca. in P.* & remittit mercedem, *l. habitatores, eod. tit.* aut ſi velit conductor impune eiicere, volenti domino poterit reſiſtere *glo. in d. l. æde, per l. colonus, de vi & vi arma, l. ſi duo, §. ſi inquilinus vti poſſ. d.* vt in aliis caſibus, extra prædictos, & extra caſum, l. emtorem. C. de locat. Nullo modo tamen colonus perpetuus expelli poteſt, cum habeat ius in re & naturalem poſſeſſionem *l. 1. ſi ager vectigal. vel em. hypot. petat. l. 1. de ſuperfici. in P.*

35 ¶ Cum tamen † conductor alius temporalis vere non poſſideat, *l. cum in plures, §. heredem, loca. P. l. emtorem, C. eod.* ſed nomine alterius, nempe domini & locantis, *leg. qui vniuerſas 31. §. quod per colonum, de acq. poſſeſſ. P.* & proinde, quia non poſſidet ſuo nomine, nullo quantumuis longæuo, contra eum, cuius nomine poſſidet, præſcribere poteſt, *l. male agitur 2. de præſcriptio. 30. vel 40. ann. C.*

## De Mercede laborum. Cap. 2.

1 *Μισθὸς quid.*
*Merces quid, eod.*
*Honorarium quid. eod.*
2 *Premium quid.*
*Salarium quid, & vnde dictum. eod.*
*Stipendium vnde. eod.*
3 *Salaria quomodo debeantur, & peti poßint.*
4 *Præceptorum ſalaria & donationes, ſunt remunerationes.*
5 *Præceptoribus & doctis viris quibuſdam ſalaria, & qualia, & quare conſtituta.*
6 *Præceptorib. ſalaria ex publico conſtituere licet municipibus, inconſulto principe.*
7 *Magiſtratibus ab Octauio ſalaria conſtituta.*
8 *Salaria & in pecunia & aliis rebus conſtitui poſſunt.*
9 *Salarium promiſſum, debitum etiam in ægritudinem incidenti ſeruiendo, & heredibus officiarii morientis intra annum.*
10 *Salarium ex pacto, vel more regionis præſtandum.*
11 *Merces laborantis, ſeu ſalarium non eſt intercipiendum.*
12 *Mercedem laborantium retinentium exſecratio.*
13 *Præceptorum ſeu doctorum ſalarium, quando & quomodo ſoluendum.*
14 *Salarium, vel ſtipendia retinere, vel minuere ad ignominiam aliquando laborantis pertinet.*
*Aere diruti qui. eod.*

1 MIσθὸς, inquit Vlpianus Demoſthenis enarrator *in 8. Olympi. Demoſthenis, καθημερινὴ δόσις ἐστὶ χρημάτων*, id eſt, merces pecunia eſt, quæ quotidie numeratur. Eſtque proprie hic auctoramentum ſeruitutis. Et proinde primum, ſalaria, & ſtipendia, quæ iuris profeſſoribus debentur, honorarium dici placuit Vlpiano, cum ſanctiſſima ſit ciuilis ſapiẽtia, nec pretio numario æſtimanda vel dehoneſtanda: ius tamẽ de his dici, vt de mercedibus præceptorum artium liberalium reſpondit, *Vlpian. in l. 1. de variis,*
2 *& extra. cognitio. lib. 50. P. tit. 13.* ¶ Pręmiũ, † inquit Marc. Terentius Varro, a præda, quod ob recte quid factum conceſſum *libr. 4. de lingua Latin.* Salarium quoque laboris remunerationem iuſta ratione ſalis dici tradit Plinius. Nam inquit, ita ſales appellantur, omniſque vitę lepos & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam, militiæque interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate &c. *Plinius libr. 31. cap. 7.* ſtipendia quoque a ſtipe erogata, *leg. ager, de verb. ſignific.* ſiue ære graui dicta ſunt.

¶ Salaria † ſeu mercedes, vel ex conuentione locationis debentur, vel ſine conuentione: quædam enim ſalaria præbentur extra conuentionem, remunerandorum laborum gratia, quæ aliquando conuentione non poſſunt honeſte vel licite promitti, vt in ſalario procuratoris receptum quod in euẽtum litium maioris pecuniæ præmio non permittitur, contra bonos mores redemtione procuratoris facta, quanquam remunerandi cauſſa & conſtitui ei honor, & peti extra ordinem ab eo poſſit, *l. ſi remunerandi 6. in prin. & §. monemus, & leg. ſalarium 7. mandat. P. l. C. eod. l. ſi quis, de poſtulan. C.* dummodo ſalarium procuratoris vel aduocati non excedat ſummam centum aureorum, *l. 1. §. aduocatos & §. licita, de variis & extraord. cog. P.* conſtitutio tamen ſalarii procuratoris, non locationis titulo recte fieri poteſt, cum hoc officium gratuitum ſit, *l. 1. §. ſi. manda. P.* 3

¶ Sed † honoris & remunerationis cauſſa, & donationis forma, vt cum etiam donatur præceptoribus: remunerationis namque & ea donatio cauſſam iuſtam habet, *l. Attilius Regulus, de donat. in P.* cum in docendo & labor ingens verſetur, & indé diſcentia perito & bono præſtantiſſima accedat vtilitas, & morum informatio, & vitæ agendæ peritia, quæ ſatis non poſſunt remunerari, quando ſpiritualia corporalibus omnibus præſtantiora, *in leg. ſancimus 17 de ſacroſan. eccleſ. C.* ſint. ¶ Et † Prodicus 4 5
Sapiens, gratis nullũ erudit, & ſemper habebat in ore Epicharmi illud, manus manũ lauat: dans aliquid, aliquid accipe, vt ſcribit Xenocrates Philoſophus Platonicus, *lib. de morte.* Veſpaſianus ingenia maxime fouit & primus e fiſco Latinis Græciſqué Rhetoribus, annua centena ſeſtertia conſtituit, *Sueton. in Veſpaſian.* id eſt, bis mille quingentos noſtri temporis aureos, *Alciat. lib. 6. Parer. c. 27.* vt Antonius, ſingulis philoſophorum cuiuſqué ſectæ primoribus pro ſalario, *μυρίας δραχμὰς*, id eſt, decem mille denarium, noſtræ monetæ mille aureos conſtituit, *Lucia. in Eunucho.* Et leges ſtatuunt præceptoribus danda ſalaria & mercedes non quam minimas, ſed pro facultatibus diſcentium, & dignitate natalium eorundem vt ſcribit Paulus Iuriſconſultus, *leg. cum plures 23. §. fin. de administra. tutor. libr. 26. P. tit. 7. facit Iulia.* nec præceptor ſine mercede eſſe debet, *l. qui filium 4. vbi pupill. educa. deb. libr. 27. P. titul. 2.* ſtudiorum quippe labor ſecundum ſententiam Diocletiani & Maximiani, meretur, vt ii, qui in publicis adminiſtrationibus conſtituti, ſociari ſibi conſiliorum participes cupiant, ſpe præmiorum atque honorificentia ſua promouent eos, quorum prudentiam putant ſibi eſſe neceſſariam, non metu terribili & neceſſitate incongrua libertati, *leg. 1. de aſſeſſor. lib. 1. C. tit. 52.* Sapientiores habiti, & qui docendi artem profeſſi ſunt, re ipſa ſatis non poſſe mercedem rependi docuerunt, vt Abderites Protagoras ipſe, qui præſtantiſſimus in omni philoſophia habitus eſt, artem dicendi docuit Euathlum cum mercede & ſalario decem millium, *Quintilian. libr. 3. Inſtitu.* De quo & Ariſtoteles refert eum diſcipulos interrogare ſolitum, quanti putarent diſciplinam quam ab eo petiiſſent, & ab eis tantum accipere, *Ariſtoteles. 9. Ethico.* inſectatur illiberales erga literatos potiſſimum qui eos immortalitati conſecrant, laudat vero liberales Theocritus, *Idyllio 16.* Dabantur & a priuatis antiquitus ſtipendia doctis etſi non docerentur ab illis, *Scæuola in l. Titia herede 19. §. qui Marco, de annuis lega.* in gratiam eruditionis, & vt mecœnatibus pluribus exſiſtentibus, plures ad bonas artes impellerentur. Non eſt, inquit diuus Paulus magnum cum ſpiritualia vobis ſeminauerimus, ſi temporalia metamus *1 ad Corinth. 9.* Conſtantinus Cæſar, profeſſoribus bonarum artium & legum doctoribus mercedes & ſalaria reddi iubet, quo facilius liberalibus & aliis ſtudiis multos inſtituãt, *l. medicos 6. de profeſſo. & Medic. lib. 10. C. tit. 52.*

¶ Et † hic eſt caſus, in quo præter iuris illam regulam, qua nemini licet conſtituere ſalarium ex iuribus reipublicæ, niſi cui ſpeciali nota iuſſerit conſtitui princeps *l. 1. de præb. ſalar. lib. 10. C. tit. 37.* liceat tamen in gratiam bonarum artium ſine principe ſtipendia ſtatuere a municipibus ex publico *gl. in d. l. 1. de præbe ſalario, l. ambitioſa de decret. ab ordine facien. P.* ¶ Accedit † his ratio, quam in magiſtratibus honorandis Mecœnas protulit: ſuadebat enim is grauis vir Octauiano Cæſari, vt inſtitutione ſuæ reipublicæ præmium conſtitueret magiſtratibus, tum laborum, tum dignitatis nomine. Neque eſſe conſentaneum in alienis locis eos ſuis facultatibus viuere, *Dio Caßius, libr. 52.* Quod & exſecutus eſt Octauianus, atque primum ſub eo acceperũt ſtipendia magiſtratus cum antea propriis ſtipendiis reipublic. munera obirent, *idem Dio lib. 53.* 6 7

8 ¶ Salaria poſſunt & in annonis, & eduliis, & pecunia conſti-
9 tui. ¶ Perſonæ † quibus ſalaria debêtur, ſunt qui operam ſuam
impendunt, vel per eos non ſtat, quo minus impendant, vel præ-
ſtent, & eodem tempore alteri non locauerint, *l. qui operas 41. &
l. ſed addes 21. §. fin. loca. P. l. diem functo 4. de offic. aſſeſſor. P. libr. 1.
tit. fin. l. diem functo 22. loca. P. l. penult. de condictio. cauſ. dat. cauſ.
non ſe. l. legatum §. 1. de lega. 1. l. 1. de var. & extraord. cog.* Quare &
famulis, quorum operæ per annos locâtur, debentur, ſi ſine do-
lo, vel culpa potiſſimum dominorum negotiis inſudantes, in æ-
gritudinem inciderint, *d. l. cum plures §. fin. de adminiſtrat. tutor.
P.* Atque ita iis præſtantur. Sunt qui pacti ſibi dari ſunt, vel qui
operas ſuſcipiunt, vel eorum curam gerunt, vel ſuſcipiunt, qua-
les tutores, curatores. Mortuo officiali in adminiſtratione here-
dibus datur etiam eius anni, quo adminiſtrauit, integrum ſala-
rium, *l. poſt duos 15. de aduocat. diuerſorum iudicum, C. leg. ſi quis in
ſacris, de proximis ſacris ſcri. lib. 11. C.* Sed & mortuo officiali do-
meſtico, & protectore principis, heres eius non tãtum ſalarium
anni intra quod moritur, & præcedentia debita cõſequitur, ſed
& alterius poſt mortem anni, *l. lege pragmatica, de domeſti. & pro-
tector. libr. 12. C.*
10 ¶ In præſtatione † & forma præſtãdi, obſeruare oportet con-
tractus legem, ſi certa eſt: nam incerti ſalarii pollicitatio nõ ob-
ligat, *l. ſalarium, C. mandat.* Si nihil pactum ſit, conſuetudo loci
ſpectanda, operæ ipſæ, & perſonarum qualitas, *leg. 1. de variis, &
11 extra cog.* ¶ Et † in ſumma nunquam merces laboris retinenda.
*Non negabis*, inquit Deus, *mercedem indigentis, & pauperis fratris
tui, vel aduenæ, qui moratur tecum in terra tua, & intra portas tuas
eſt. Sed eadem die reddes ei pretiũ laboris ſui, ante ſolis occaſum: quia
pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animã ſuam: ne clamet contra te ad Do-
minum, & reputetur tibi in peccatum. Deuter. 24. Leuit. 19.* Rurſum
apud Thobiam *quicumque tibi aliquid operis fecerit, ſtatim ei mer-
cedem reſtitues & merces mercenarii tui apud te omnino nõ maneat,
Thobiæ 4.* Et apud Malachiam, *Ero*, inquit dominus, *teſtis velox
maleficis, adulteris, periuris, & iis, qui calumniantur mercedem
mercenarii ſui, Malach. c. 3.* Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus,
voca mercenarios, & redde eis mercedem ſuam, *Matth. 10.* Quia,
vt Diuus Paulus ait, dignus eſt mercenarius mercede ſua, *1. ad
Timot. 5. c. quicunq; ſuffragio, 12. q. 2.* & iniuſte denegatur, *ca. non
ſane, 14. q. 5.* vt, qui effuderit ſanguinem fratris ſui, & qui fraudem
facit mercenario fratres dicantur, *Eccleſ. c. 34. c. immolatus 14. q. 5.*
12 ¶ Non enim † minus occidere videtur qui alimenta denegat,
quæ ſibi mercenarius tantum labore parat, quam qui alio modo
occidit, *l. 4. de liber. agno. in P.* quare vterque impiiſſimus, & vt
Mero ſcribit, ἐν ταῖς ἀραῖς, in exſecrationib. Alcinoes ira Miner-
uæ periiſſe fertur, quam inuocauit Nicandra, quod cum ei de-
ſeruiſſet Alcinoæ in arte textrici, qua docta erat, illamque domo
expuliſſet, neque integram mercedem exſoluiſſet. Cuius ob vl-
tionem, ipſa in tantam inſaniam peruenit, vt hoſpitis peregrini
Xanti nauem ſequeretur, relicto patre Polybio Corinthio, &
Amphylocho Driantis filio marito, & liberis, cuius conſcientia
ſe poſtea in mare præcipitauit, *Parthenius in Eroticis, cap. 27.* Lex
Platonis, *Qui pauperis accepti mercedem, tempore quo pactus eſt,
non obtulerit, duplum reddat, & ſi annus præterierit, quamuis pecu-
niæ acceptæ mutuo ſine vſura reddi debeant, huic tamen pro ſingulis
drachmis ſingulas drachmæ ſextas partes ſingulis menſib. dato. Si quis
opifici mercedem, ſecundum pacta non dederit, vt ſocietatem homi-
num diſſoluens lex ciuitatis vnioni patrocinetur, tribuum iudices de
13 his cognoſcant, Plato 11. de legib.* ¶ Salarium † lectionis doctoris
debet ſolui in principio anni, vt ait Baldus, *in l. 1. de ſuffr. C.* vel in
medio anni, *Bal. in l. per hanc, de aduo. diuerſo. iud. C. Alex, in leg.
diem functo, de aſſeſſor. P.* Et ſi iuſta cauſſa impediatur lectiones
perficere, nihilominus integrum accipit ſalarium: *Bald. in rub.
de magiſtris.* contra ſi negligentia officium prætermittat: nam
tempus tunc ceſſationis ſubducendum, veluti in aliis locationi-
bus conductor ſubducit mercedem, pro eo quo culpa locantis
non licuit frui fructibus rei conductæ, *l. ſi fundus, locat. P. l. adi-
les in fin. de ædil. edict. Pano. in c. peruenit, in 2. in 3. col. de iureiuran.
Fel. in c. quia. de magiſtris*, Si tamen ob nõ ſoluta ſtipendia omit-
tat lectiones, vel officium alius qui operas præſtat, diſtinguitur,
an potuerit eo loco viuere pendẽte mora ſolutionis & agere lo-
cati nomine pro mercede, vt tunc non poſſit petere ceſſationis
pecuniam: ſi autem non potuit ibi, ob inopiam pecuniæ, fungi
officio, reperet, quia per illum non ſtetit, *Panormit. in d. cap. per-
uenit, per l. qui operas, & l. ſi in lege, §. colonus, loca. in P.* Inſuper ſi in
defectum ſolutionis ipſius, cui mandata ſoluendi prouincia eſt,
mutuum cum vſuris doctor ſumat, oportet eaſdem vſuras eum
quoque refundere, *arg. l. per hanc, de erog. militar. anno lib. 12. C.*
¶ Retinere † ſtipendia laboris alicuius, non tantum ad iactu- 14
ram pecuniæ laborantis pertinere, quantum ad ignominiam e-
iuſdem aliquando videtur: quemadmodum, teſte Nonio, æredi-
ruti appellabantur milites, quibus propter ignominiam ſtipen-
dium, id eſt, merces menſtrualis, vel annua quæ eſſet in numis æ-
reis, ſubtrahebatur. Vnde Varro lib. de vita populi Romani 2.
*ſtipendium appellabatur, quod æs militi ſemeſtre aut annum dabatur:
cui datum non eſt propter ignominiam, ære dirutus eſſet.* Ære diru-
tum militem etiam tradit Feſtus ab antiquis dictum cui ignomi-
niæ cauſſa ſtipendium non eſſet datum. Quod æs diruebatur in
fiſcum, non in militis ſacculum: alioquin non erat licitum, nec
eſſe debet mutare, vel ſubtrahere, vel minuere, vt quæſtores ſo-
lutioni præpoſiti ſolent, ſudoris & laboris meritum. Et ſic etiam
Theodoricus Gotthorum rex reſpondit, cum conquererentur
domeſtici milites, equites, & pedites excubias agentes, quod ab
arcario præfectorum, non integros ſolidos, ſed imminutos ac-
ciperent, curans vt emendarentur, dicenſque, *Mutari certe non
debet: quod laborantibus datur: ſed a quo fidelis actus exigitur, com-
penſatio imminuta præſtetur, libr. 1. epiſtolarum variarum Caſſiodor.
epiſt. 10. Theod. Boerio.*

## De reliquis quæ pertinent ad locationem & conductionem. Cap. 3.

1 *Locatio non transfert dominium, ſed vſum.*
2 *Furti actio pro re conducta cui competat, dominone an conductori.*
3 *Locationis finis, quod ſit contractus iuriſgentium, & bonæ fidei.*
4 *Locatio habet latam, leuem & leuiſſimam culpam.*
5 *Sarcinator tenetur pro veſte ei data ſarciẽda, ſi mures corroſerint, vel ſi permutauerit.*
6 *Caſum fortuitum præſtat, qui ſe ei expoſuerit.*
7 *Iuramentum in litem pro bonæ fidei actionibus.*
8 *Vſuræ debentur pro mercede ſuo tempore non ſoluta.*
9 *Conductor inficiatus rem locatam reſtituere, quomodo condemnetur.*
10 *Locatio quomodo finiatur.*

LOcatio † non cenſetur eſſe translatio rei, ſed conceſſio tan- 1
tum vſus fructuum, operum, remanente dominio rei penes
locantem *l. 2. loca. P.* nec ſolet locatio dominium mutare, *l. non
ſolet 42. loc. P. l. qui rem, C. eo.* ¶ Et proinde, ſi quis meſſem, id eſt, 2
fructus pendentes inſpiciente partiario colono furetur, condi-
ctio furtiua domino tantum competit, & colonus cum domi-
no ex conducto, vt id faciat agere poteſt, *l. cum in plures, §. meſſem
loca. in P.* neque enim colonus antequam fructus perceperit, eo-
rum ſit dominus *l. fullo, vel ſarcinator 84. §. frugibus, de fur.* Po-
teſt tamen furti agere quoque in quantum ſua intereſt furatos
fructus non fuiſſe, ſicuti & fullo actione furti experitur quanti
ſua intereſt rem recipere, quam reſtituere cogitur domino, *d. l.
fullo, §. frugibus & l. fullo 92. de furt. P.* Colonus tamen qui ſuis
numis colit, qui vniuerſos fructus rei ſibi percipiendos condu-
xit, cum eo quoque qui fructus ſtantes ſurripuit, agere furti po-
teſt: quia vt primum decerpti eſſent, eius eſſe cœpiſſent, *l. ſi apes
26. §. fin. eo. tit. de furt. P.* Itaque etiam fullo qui polienda ſarcien-
dave veſtimenta accepit, ſemper agit: præſtare enim debet ſem-
per cuſtodiam, *l. itaque fullo 12. de fur. P.* Itaque vt is cuius inter-
eſt non ſurripi, furti agere poteſt, *l. cuius 10. & 16. eod.* Si autem ſol-
uendo fullo non eſt, ad dominum redit actio, *d. l. itaque fullo.*
¶ Finis † itaque locationis erit, vt communicatione vſus, ſo- 3
cietas hominum conſeruetur, & facilius volentibus dominis,
homines inter ſe res communicent. Quare recte placuit, vt qui
beneficium ex re alterius ſuſcipit, quiue mercedem capit, tenea-
tur pro rei interitu, vel deterioratione ex dolo & culpa ſua, ſeu
negligentia, non etiam ex caſu, *l. in iudicio, & l. 1. C. de locat. l. vi-
deamus, in princip. cum duab. ſequentibus, eod. tit. P. l. contractus 24.
de reg. iur. P.* quia contractus iſte eſt bonæ fidei, *in l. 2. & 17. C. de
locat. §. actionum, de actio.* & naturalis, & iuriſgentium, *l. 1. eod. tit.
P.* Et proinde in eo omnia iuſte, & ſine damno contrahentium
conſeruari debent tanquam contractu neceſſitate vrgente in-
ducto, vt in ceteris ſimilibus *l. ex hoc iure, de iuſtit. & iur. §. ius an-
tem gentium, de iure natur.* ¶ Multo † magis qui expreſſe operam 4
ſuam in cuſtodia locauit, de negligentia tenetur, de lata, leui, &
leuiſſima culpa, ſi quid ſiniſtri rebus contingat, quas vel vehere,
vel cuſtodire promiſerat, *d. l. in iudicio 28. & l. ſi vt certo, §. nunc vi-
dendum,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*dendum,commo.P.§.qui pro vſu, de loc.ap.Iuſtin.l.4.C.eod.* de le-
uiſſima videlicet tenetur, ſi damnum ex eius culpa qui promiſit
contingat,*glo.in l. qui mercedem cum l.ſeq.loc.P.* non item, ſi al-
terius culpa: nam eo caſu excuſaretur per diligẽtem cuſtodiam,
5 *Berberius,in 2.parte Viatorii iuris, tit.de loc.* ¶ Ad † culpam per-
tinet imperitia,*l.item quæritur 14.in prin.* & *§.ſi gemma, locat.P.*
ſi quis errauerit putans domino veſtem reddere, quam pretio
polliendam, vel farciẽdam ſuſceperat,reddiderit alii, vel inſcius
cum alio permutauerit,*d.l.item quæritur,§.etſi pallium.* vel ſi eam
a muribus corrodi permiſerit, *d.l.item, § ſi fullo.* ſunt his caſus
alii plures ſimiles,*in d.l.item quæritur.*

6 ¶ Culpa † quoque præcedens caſum fortuitum, vel quando
quis caſui fortuito ſe commiſerit, facit vt ex caſu quoq; quis te-
neatur,non aliter, *l.ſi merces,§.vis maior,* & *l.videamus,§.ſi hoc,
loc.P.* Hinc accidit, vt ſi non reſtituatur res locata, vel id ad
quod propter culpam quis tenetur,in id quod intereſt commu-
ni æſtimatione condemnetur,*leg. videamus,§.qui vnum, loca.P.*
7 ¶ Etſi † contumaciter adhuc ſe gerat, quantum ſingulariter in-
terfuerit per in litem iuramentum damnabitur, *l.ſi cui §.1.eod.*
exemplo aliarum actionum bonæfidei, in quibus iuramentum
8 in litem locum habet,*l.in actionibus de in litem iur.* ¶ Et ſi † mer-
ces ſuo tempore non ſoluatur, vt in iudiciis aliis quoque bonæ-
fidei,vſuræ debentur cum mercede, *l.præſes prouinciæ 17.C.locat.*
9 ¶ Et † ſi pertinaciter conductor vſque ad ſententiam perſeueret
inficiatione reſtitutionis poſſeſſionis, ſeu detentionis rei loca-
tæ petente domino,exemplo inuaſoris rem locatam,& æſtima-
tionem inſuper eius cogetur perſoluere *l.pen.C.de loca.*

10 ¶ Finitur † namque locatio adueniente tempore dicto con-
ductioni, poſt quod impletum,inuitos conductores.*in l.inuitos
11.C.de loc.* ſeu heredes eorum non eſſe retinendos,ſæpe reſcri-
ptum eſt,neque fideiuſſores eorum,*l.ſi cum Hermes 7.C.eod.* ne-
que locatores iterum relocare cogi eidem,vel alii, *l.nec cui.32.
C.eod.* niſi tacito conſenſu renouetur locatio conductori, quem
locator in poſſeſſione rei locatæ eſſe patitur, *l.legem 16.C.eod.l.
item quæritur 14.§.qui impleto,* & *l.qui in perpetuũ 15.loc.P.* Qui-
bus modis autem aliis finiatur locatio,iam ante dictum eſt, dum
de actione ex conducto egimus,*per l.æde,* & *l.emtorem, C.de loca.*
quibus & adde conſenſum quo diſſolui poſſe omnes cõtractus,
qui conſenſu tranſacti ſunt, liquet, *leg. nihil tam naturæ. de re-
gul.iur.P.*

## De Societate. Cap. 4.

Inſtit.lib.3.tit.26. P.lib.17.tit.2. C.lib.4.tit.37.


1 *Societas quid.*
2 *Diuiſio bonarum & malarum rerum.*
3 *Alia diuiſio ex contractu & ſine contractu.*
4 *Communi diuidundo, & actionis pro ſocio familiæ erciſcũdæ differentia.*
5.6. *Societas perſonarum, vt in matrimonio, & rerum.*
7 *Affrayramenta coniugum.*
8 *Societas conuentionalis.*
9 *Vel rerum ſingularium, vel bonorum vniuerſorum.*
10 *Societas damni & lucri, induſtriæ, & pecuniæ.*
*Induſtria interdum præponderat rebus & pecuniis, eod.*
11 *Societatem quæ perſonæ inire poſſint.*
12 *Socii heres in ſocietate non remanet, niſi in locatione vectigalium.*
13 *Societas quibus modis contrahitur, & vſque ad quod tempus.*
14 *Societas ſimpliciter coita quæ requirit communicari, & quæ non.*
15.25. *Societatis lucra & damna quomodo diuidantur.*
*Lucrum & damnum quid. eod. 15.*
16 *Societatis contrahendæ finis quæſtus eſt.*
17 *Societas quibus modis ſoluitur.*
18 *Societatis fraudulenta renuntiatio non officit ſociis.*
19 *Societatis intempeſtiua renuntiatio æſtimationem habet.*
20 *Societatis diſſoluendæ iuſtæ cauſæ.*
21 *Societatis pactum non valet, ne omnino diuiſio fiat.*
22 *Pro Socio actio quando, & pro quibus datur.*
23 *Socium fallere turpiſſimum.*
*Ideo actio famoſa. eod.*
24 *Sociorum quæ culpa conſideranda.*
25 *Societati vniuerſarum fortunarum quæ conferantur.*
26 *Societatis actio cum aliis quibuſdam concurrit aliquando.*
27 *Sociorum condemnatio, in quantum facere poſſunt.*
*Fideiuſſor ſocii gaudet priuilegio ſocii, ne vltra quam facere poſſit, condemnetur.*


SOcietas † generaliter, eſt aliquorum in aliquo negotio for- 1
tunæ, periculorum & ſpei communicatio ſeu communio.
¶ Quo fit, † vt fere infinitæ ſint ſpecies ſocietatis & ſociorum, 2
& bonarum & malarum rerum: ſpiritualium, & corporalium:
cum ſocii ſint,inter quos res aliqua communicata eſt, *Cicer.5.in
Verrem oratio.* Eius itaque appellatio,& ad omnem communio-
nem,coniunctionem communitatem, commercium, comita-
tum,pactionem, fœdus,conuictum,cohabitationem, ordinem
& amicitiam referri poterit: in his enim omnibus quædam res
communis aliquo modo fit. Et longum eſſet de his omnibus
ſingulariter loqui,diffuſa & aliena cum ſit tractatio omnium ab
ea quæ in manu eſt,contractuum. ¶ Proinde † vt conueniat & 3
intelligatur de qua ſocietate dicturi ſumus, paucis ſocietatum
ſpecies duobus capitibus ſecerno: vt alia ſocietas ſine contractu
contrahatur,alia ex conuentione & conſenſu fiat. Sine conſen-
ſu & pactione in ſocietatem homines incidunt, ſi res vna pluri-
bus aut duobus adueniat aliquo titulo emtionis,donationis, le-
gati,inſtitutionis,*l. vt ſit,cum 2.ll.ſeq.pro ſocio,l.fi.C.eod.* ſeruitu-
tis conſtitutione,*l.vnus ex ſociis de ſeruit.P.l.Sabinus,commu. di-
uid.* vel ex ſimilibus. Res enim ſunt omnes quæ poſſidentur, aut
propriæ,aut communes,aut confuſæ. Propriæ dominorum ſin-
gularium ſunt: communes,plurium: confuſæ, incertorum, ha-
rum diuerſa natura: propriæ in libera diſpoſitione dominorum
ſunt,*l.in re mandata, C.mand.l.nemo exterus C.de Iudæ.leg.2.de
his qui ſunt ſui vel alieni iur.* Pro confuſis prædiorum finibus, fi-
nium regundorum, non etiam communi diuidundo datur iudi-
cium *l.2.4.* & *l.eos,finium regum P.* ¶ Pro rebus † ſine conuen- 4
tione ſociorum communibus, datur communi diuidundo re-
medium diuidere,& a communione abire volentibus, *leg.iudi-
cium,in 2.finium reg.P.l.inter coheredes,§.ſi familiæ, famil.erciſc.
l.2.commu.diuid.P.* ſi de corporalibus agatur: ſi autem de iuri-
bus,vel de hereditate familiæ erciſcundæ, non communi diui-
dundo,*l.3.commu.diuid.P.l.1.* & *2.fam.erciſc.P.* neque pro ſo-
cio,*l.nam cum 32.* & *ſeq.* & *l.quibus caſibus 34.pro ſoc.* quia actio
pro ſocio magis ad perſonales præſtationes pertinet, quam ad
communium rerum diuiſionem, *l.1.commun.diuid P.* Et quam-
uis in communi diuidundo contendentes ſocii,*l.1.finium regun.
P.* dicantur: tamen non omnis communio ſocietatem habet,*l.2.
commun.diuid.P.* neque actio pro ſocio cõmuni diuidundo tol-
litur,*in l.ſi actum ſit 43.pro ſoc.P.* De his omnibus iudiciis finium
regundorum,communi diuidũdo cum iam alibi dixerim, nunc
plura non adiiciam. ¶ Porro † ſocietatis cõuentio perſonas ma- 5
gis quam res reſpicit, vnde & ius quoddam fraternitatis dicitur
in ea eſſe, vt ne vltra quam facere poſſint ſocii ad inuicem da-
mnentur,*l.verum eſt pro ſoc.* Sed ea non tantum perſonarum,ſed
& rerum eſt.

¶ Eſt † itaque hæc ſocietas contractus iuriſgentium, *l.ex hoc* 6
*iure,de iuſtit.* & *iur.P.* nominatus, *l.iuriſgentium, de pac.P.* quo
rerum,vel operarum lucri & damni. *l.ſi vnus pro ſoc.* communi-
catio fit, ad commodiorem vſum, vel faciliorem quæſtum ex
conſenſu,*l.qui amittitur 19.l.vt ſic 31.cum l.ſequen.l.plane 37.l.ſi
margaritam 44.pro ſocio P.de quæſtu,in l.quæſtus 8.* & *in l.ſed nec,
eod.tit.* Conuentionalis ſocietas alia eſt,in qua fit præcipue com-
municatio perſonarum,quamdiu vixerint, & conſequenter ali-
quomodo, non tamen omnino, rerum quæ perſonarum ſunt.
Quæ ſocietas ineſt matrimonii coniunctioni: ſunt enim coniu-
ges ſocii diuinæ & humanæ domus,& conſortes omnis vitæ, *l.1.
de rit.nuptiarum,lib.23.P.tit.2.* ob quam bonorum propriorum
mutuo dicuntur domini quodammodo,*l.1.rerum amota.lib.25.
P.tit.2.l.aduerſus,C.eod.tit.* ob commixtam familiam facientes
vnam domum, *leg.1.§.ſi vir aut vxor, ad Senatuſc.Syllan.in P.*

¶ Quamuis † vere, potiſſimum prohibente vxore, in bonis 7
vxoris maritus ius non habeat,& contra,*l.hac lege 8.de pact.con-
uentis,lib.5.C.tit.14.l.ſi ego,§.dotis,de iur.dot.* niſi ex pacto inter
coniuges fiant ſocietates rerum, quæ dicuntur affrayramenta:
quæ etiam ex cõſuetudinibus quorundam locorum matrimo-
nio inito, cenſentur fieri,vt Lutetiæ & alibi, *materiam affrayra-
menti tractat Boerius in conſuet.Bitur.tit.de conſuetudine Boerii, tit.
2.Io.Berber.in Viator.iuris, de ſocietate,* quibus acquiſitiones in-
ter coniuges cõmunicantur & onera. Sed de ſocietate nuptiali
nihil amplius repetam,cum de nuptiis in perſonis vberrime di-
ctum a nobis ſit.

8 ¶ Alia † conuentionalis ſocietas eſt, quæ vtilitatem potius,
quam perſonarum amicitiam reſpicit, perſonas tamen conſide-
rat, §. ſoluitur, de ſociet. & induſtriam illarum, vt plerumque com-
merciorum cauſſa inita, de qua nunc agendum.
9 ¶ Res † ſeu materia quæ communicatur, eſt res ſingularis vel
certa ſpecies negotiationis, aut vniuerſa bona ſociorum, §. 1. de
10 ſocieta. l. ſocietas contrahi, 3. eod. P. ¶ Aliquando † ſocietas tan-
tum initur operarum & induſtriæ, & damni & lucri inde aduen-
turi, l. cum duobus 52. §. quidam ſagariam, pro ſoc. P. dummodo
rerum honeſtarum nec maleficii fiat ſocietas. Quia generaliter
traditur rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem, l. nec præ-
termittendum 58. pro ſoc. P. l. ſi remunerandi, §. rei turpis man. P. l.
quod ſæpe 35. §. veneni. de contrah. emt. P. Aliquando qui minus ha-
bet cõmunicat recte, & cum æqualitate plus habenti: cum pau-
perior plerunque opera ſua ſuppleat, quantum ei per compara-
tionem patrimonii deeſt. l. ſocietas 5. § ſocietas, pro ſoc. P. Fit & in-
terdum ſolius induſtriæ vnius, cum pecunia alterius ſocietas ef-
ficaciter, quia interdum induſtria præponderat rebus, & lucrum
accelerat, l. ſi fratres, 53. §. idem ex facto, & l. ſi non fuerint 29. pro
ſoc. P. §. de illo, eo ap. Iuſtin. l. 1. C. eod. tit.
11 ¶ Perſonæ † quæ ſocietatem inire poſſunt hanc, erunt il-
læ, quæ contrahere poſſunt, & ſe obligare. Ideo pupillus ſine tu-
toris auctoritate ex ſocietate coita, non tenetur: attamẽ de com-
muniter geſto negotio tenetur, l. vt in conductionibus, 33. pro ſoc.
P. l. furioſus, de act. l. 2. com. diuid. Cum filiofamilias iniri poteſt
ſocietas, l. ſi id quod 59. §. ſi filiusfam. pro ſoc. & cum ſeruo, d. l. ſi id
quod, §. ſi ſeruus, ſocius tamen ſocii mei, cum quo non contraxi,
meus ſocius dici non poteſt l. qui admittitur 19. & l. nam ſocius 20.
12 pro ſoc. can. legitur 81. diſt. l. act. 66. §. ſocietas, pro ſoc. P. ¶ Neq; † ita
quis heredi ſocietatem parare, vt ipſe ſocius ſit: quamuis in he-
redem actio tranſmittatur l. nemo poteſt 35. & l. & acti. 36. & l. he-
res ſociis 40. pro ſoc. P. l. verum, §. in heredes, eod. tit. & cum herede,
nouo tamen conſenſu renouari poſſit ſocietas, l. plane 37. eod. Ex-
ceptis publicis vectigalium locationibus, in quibus ratione lo-
cationis, heres ſocii, & ſocius remanet, l. adeo, & l. verum, pro ſoc.
13 P. ¶ Forma † ſocietatis ex conſenſu naſcitur, l. qui admittitur 19.
pro ſoc. l. 2. de act. P. & ſecundum ea quæ placita ſunt. Et coitur
re, verbis, & per nuntium, l. 4. pro ſoc. P. in perpetuũ, id eſt, quoad
vixerint contrahentes, l. 1. pro ſoc. non vltra in l. nulla 71. & l. ſi fra-
tres, 53. §. idem reſpondit, eo. tit. ad tempus: ex tempore, ſub condi-
tione d. l. 1. pro ſoc. P. & tamdiu ſocietas durat, quamdiu conſen-
ſus partium integer perſeuerat l. tandiu 5. pro ſoc. C. Et quia vo-
luntates legitimæ contrahentiũ omnimodo conſeruandæ ſunt,
ſocietas & pure & ſub conditione fit, l. de ſocietate, C. eo. l. 1. eo. tit. in
14 P. & ſimpliciter, & pactionib. adhibitis. ¶ Simpliciter facta, nul-
la adhibita diſtinctione, videtur coita vniuerſorũ quæ ex quæſtu
aliquo veniunt, l. ſi ſocietatem 6. & l. coiri 7. eo. P. hoc eſt, ſi ꝙ lu-
crum ex emtione, vel venditione, locatione, conductione de-
ſcendit, ex opera cuiuſque, non quæ aliunde proueniunt, dict. l.
coiri, & l. quæſtus 2. eod. Quare non communicantur aduenien-
tes hereditas, legata, donationes cauſſa mortis, debita ſucceſſio a
parente, vel liberto, æs alienum, l. nec adiecit 9. cum 3. ſeq. niſi o-
mnium bonorum fiat ſocietas, præſentium & futurorum, l. 1. §.
fin. & l. 3. §. fin. pro ſoc. & præterquam ſi pactum nominatim adii-
ciatur, vt ſi qua iuſta hereditas contigerit, communicetur: nam
tunc hereditas ab inteſtato obueniens, nõ ſi ex teſtamento, com-
municabitur, l. 3. § de illo, pro ſoc. Quod communicatur donatio-
nis cauſſa, non conſtituit ſocietatem, l. ſocietas 5. §. donat. eod. tit.
ſi dolo malo aut fraudandi cauſſa coita ſit, ipſo iure nullius mo-
menti eſt, l. 3. §. fi. eo. P.
15 ¶ Fiunt † & pacta circa partes ſocietatis diuidendas, pro mo-
dulo induſtriæ, & bonorum communicatorum, quæ ex arbitrio
interdum boni viri diuiduntur, ſi de diuiſione cautum in ſpecie
non eſt, l. ſi ſocietatem 6. pro ſoc. & ſi cautum, ſecundum legem cõ-
tractus, §. etſi quidem, & §. nec enim, de ſocieta. l. ſi non fuerint 29. eo.
P. ſi nihil de partibus lucri & damni conuenerit, æquales partes,
in lucro & damno ſpectantur: ſi expreſſæ fuerint partes, ſeruari
oportet, nec dubium valere conuentionem: ſi duo pacti ſunt, vt
ad vnum quidem duæ partes lucri & damni pertineant, ad alium
tertia, §. de illa ſane, eod. de ſocieta. Item, vt quis lucri partem ferat,
& de damno non teneatur, eo adhibito temperamento, vt ſi in
aliqua re damnum, in alia lucrum illatum ſit, compenſatione fa-
cta, ſolũ quod ſupereſt intelligatur lucri eſſe, l. mutuis 30. pro ſoc. P.
Lucrum enim dicitur, deducto omni damno, vt & damnum, de-
ducto omni lucro, l. ſi non fuerint, § fi. & l. ſi vnus, §. ſed ſi pretium,
pro ſoc. P. Quare pactũ illud contra naturã ſocietatis erit & inu-
tile, vt alter omne damnum ſentiat alter omne lucrum ex ſocie-
tate ferat, l. vt ſit, pro ſocio 31. pro ſoc. P. In ſocietate non ſufficit
rem eſſe communem, niſi ſocietas intercedat, l. nam cum tracta-
tu, 32. & l. ſeq. eod. tit. quæ fit & tractatu ſeu cõtractu habito, l. coiri
7 eod. P. ¶ Finis † propter quem ſolet hæc contrahi ſocietas, eſt
quæſtus, qui ex conſtituta opera, vel pecunia venit, l. verum 64. §. 16
ſocietas. eod. P. §. ſoluitur, eo. tit. ap. Iuſtin. Et quia quæſtus ille duo
fundamenta habet res, & operam, ſubrutis illis corruit ſocietas
& ſoluitur, ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. ¶ Itaq;
ſiue homines, † ſiue res, ſiue voluntas, ſiue actio interierit, di-
ſtrahi videtur ſocietas, vt ait Vlpia. d. §. ſocietas, tit. de c. diminu. In 17
P. ap. Iuſt. Intereũt homines maxima, media, capitis diminutio-
ne, aut morte. l. ſtipulationes non diuiduntur, §. ſacram rem, de ver.
oblig. res, ſi fiant ex profanis ſacræ: & Modeſtinus, diſſociamur,
inquit, l. 4. §. 1. pro ſoc. P. vide l. actiones, §. renuntiare, & §. morte,
eo. renuntiatione, morte, capitis diminutione, & egeſtate, videli-
cet incidente, ſeu ſuperueniente: puta, ceſſione bonorum, vel
eorũdem publicatione, §. item ſi, de ſoc. Rei quæ iam nulla ſit, nec
quiſquam ſocius eſt l. actione 66. §. publicatione, pro ſocio, P. §. pu-
blicatione, eo. tit. ap. Iuſtin. ſi finis negotio ſocietatis impoſitus ſit,
d. l. verum, §. ſocietas, & d. l. verum, §. fin. §. manet autem, eo. ap. Iuſt.
l. 5. C. eo. voluntarie quoque diſtrahitur ſocietas & renuntiatio-
ne, l. actione, §. item ſi alicuius, l. ſi id quod, eo tit. P. verumtamẽ diſ-
ſenſu ſoluitur ſocietas, ſi omnes ſocii diſſentiant. Nam ſi alter
inuitis aliis renuntiet ſocietati, a ſe quidem liberat ſocios ſuos,
ſe autem ab illis non liberat.
¶ Sed † & ſi dolo malo renuntiatum eſt, vt qui renuntiat, bo- 18
norũ obuenientium lucrum ſolus haberet, & damnũ poſt illam
doloſam renuntiationem bonorũ ad illum quidem pertinebit:
attamen ſi quod lucrum ſit ex illis, cõmunicare tenebitur Et ita
qui poſt initam ſocietatem pro re aliqua emenda, ſolus voluerit
emere, renuntians ſocietati, in id quod intereſt ſociorũ damna-
bitur: non ita, ſi ſine fraude renuntiauerit, dict. l. actione, §. dixi-
mus, & §. item ſi ſocietatem, & l. ſed & ſocius, pro ſocio, §. ſed plane ſi
quis, eod. tit. ap. Iuſtin. ¶ Porro † in ſocietate coeunda nihil atti- 19
net, de renuntiatione cauere: quia ipſo iure ſocietatis, intempe-
ſtiua renuntiatio in æſtimationem venit, l. ſed & ſocius 17. §. fin.
pro ſoc. P. l. idemque 16 §. fin. l. actione 66. §. Labeo, eod. tit. Si tamen
conuenerit, ne intra certum tempus diuidatur, non videtur con-
uenisſe, ne a ſocietate abeatur. ¶ Verum † ſi conuenerit, poteſt 20
aliquando quis iuſte a ſocietate abire, & poteſt rationem ha-
bere renuntiatio, ne ideo quis teneatur actione pro ſocio, pu-
ta quia conditio forte ſub qua coita ſocietas erat, non præſtatur:
aut quia damnoſus, & iniurioſus ſocius ſit, vt non expediat eum
pati, l. ſi conuenerit 14. in prin. & §. 1. pro ſoc. P. vel quod ea re frui
non liceat, cuius gratia negotiatio ſuſcepta eſt, l. vel quod 15. eod.
ſi ſocius reipub. cauſſa diu ſit abfuturus, quamuis nonnunquam
obiici poteſt, quod potuit & per alium ſocietatem adminiſtra-
re, vel ſocio committere, ſi is ſit valde idoneus: non alias: niſi
aut facilis per alium adminiſtratio, l. idemque 16. §. fin. eod. Sine
dubio etiam ius ſocietatis ſoluitur, ſi vnuſquiſque ſociorum ſi-
bi negotietur, & agere pro ſocio cœperit, Calliſtratus, in l. itaque
65. eo. tit. P. non ſecus quam ſi paciſcatur ſocius, ne ſuam partem
petat: quo caſu & effectu ſocietas tollitur, l. in hoc iudicium 4. §.
fin. commun. diui. lib. 10. P. tit. 3. ¶ Pactum † tamen in ſocieta- 21
factum non valet, ne omnino diuiſio fiat, ſed ne intra certũ
tempus diuidatur: quod etiam ipſius rei qualitati prodeſt, valet,
in d. l. in hoc iudiciũ, §. ſi conueniat, l. ſi fratres 53. §. idem reſpondit,
pro ſoc. Quo etiam caſu, permiſſa quidem eſt rerum cõmunium
venditio intra tẽpus, ſed & emtori obiici poteſt exceptio de non
diuidendo pacto per exceptionem, d. l. in hoc iudicium, § ſi inter
ſocios, l. idemque 16. § fi. pro ſocio. Sic ratione pacti in commu nio-
ne quis eſſe cogitur, præter iuris communis regulam, quæ con-
tur l. fin. commun. diuid. C. lib. 3. tit. 37. cum ſim. niſi mors, vt dixi-
mus, interuenerit vel furere ſocius cœperit, in l. fi. pro ſoc. C. diſtra-
cta autem ſocietate, diuiſio rerum ſupereſt d. l. actione, § ſi poſt di-
ſtractã, verſ. nam etſi. ¶ Sed † videamus de actione, quare, & qua- 22
tenus, & pro quib. actione pro ſocio experiamur. Ex hoc igitur
contractu oritur actio directa, vtrique ſociorum competens, §.
ex quibuſdam, de pœna temere litigant. ap. Iuſtin. & pendẽte, & diſ-
ſoluta ſocietate. Pendente, veluti ſi agatur ne recedatur a ſocie-
tate: quia non expediat, propter varios contractus: item vt com-
municetur, vel referatur in medium quod ad alterum peruenit,
d. l. actione, §. pen. & l. ſi quis vniuerſorum, eo pro ſoc. P. vt pacta ſer-
uentur,

nentur, *l. ſi fratres 53. §. 1. eod. tit.* P. *l. cum ſocietas 70. eo.* Poſt ſolutam ſocietatem, variæ ſunt etiam cauſſæ agẽdi: & in primis, quia hoc iudicium, bonæ fidei eſt, *l. in propoſita 79. pro ſocio P.* & in eo venit bona fides, & dolus, & culpa, præſtatur a ſociis inter ſe, *in l. cum duobus 52. §. venit autem, & §. 2. in cocunda, pro ſoc. P.* & pro eo quod factum non eſt dolo ſocii, vel pro eo quod impenſum eſt, datur, *leg. ſi fratres. §. idem reſpondit, & §. ſi quis vel ſociis.*
23 ¶ Cicero † *pro Sex. Roſc.* ſocium fallere turpiſſimum eſſe dicit, etiam in rebus minoribus, eo quod quis lædatur per eum cuius fidei ſe cõmiſit, nec ſatis hunc puniri poſſe. Et alibi, *Cic. pro Sex. Roſc. Comœdo. ſi qua ſint,* inquit, *priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & pene dicam capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis.* Et Iuſtinian. actione pro ſocio damnatum, ignominia affici tradit, *d. §. ex quibuſdam, de pœna tem. litig.* Iulianus quoq; I. C. idipſum reſpondetat, *in l. 1. de iis qui not. infam. lib. 3. P. tit. 2.* videlicet ſi ratione doli non etiam culpæ damnetur, *gl. in d. l. 1 in verba quod pro*
24 *ſocio.* ¶ Et † culpa itaque damnum datum a ſe ſocius præſtabit ſocio, nulla compenſatione facta lucri per eum ſocietati facti in aliis. *l. de illo ſane 23. & l. non ob eam rem 25.* tamen hic exactiſſimam diligentiam non conſideramus, ſufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere ſocium, qualem ſuis rebus ſolet adhibere: nam de ſe queri debet, qui parum diligentem ſocium ſibi adhibuit, *l. fin. de ſociet. apud Iuſtinian. l. ſocius ſocio 73. pro ſocio, in P.* De caſu fortuito nõ tenetur ſocius, ſed periculum & damnum commune eſt ſocietati omnium, *l. cum duobus 25. §. damna fatalia, pro ſoc. in P.* niſi culpa ſua in caſum incidat. Hac actione quoq; cogitur ſocius omnium bonorum, conferre in medium vniuerſa quæ quæſiuit, *l. 1. §. 1. & l actione, §. ſocium, pro ſoc. P.* niſi ex prohibitis cauſſis acquiſierit, *d. §. ſocium, & l. quod autem 54. & l. quod eum 55. & 3. ſeq. eod.* ſi ſocius certarum rerum, ea quæ inde quæſita tantum ſunt *l. cũ duob 52. §. cum duo. eod.* Societas coita vniuerſarum fortunarum, coita cenſetur & de his quæ poſtea obuenient, cui ineſt, vt quicquid erogãdum erit, quodcunque etiam lucrum obueniet, commune ſit, *l. ſi ſocietatem 74. eo.* vt etiam ſi quis exceperit, vt ſi quid emeret ipſius ſit, non commune, tamen actione pro ſocio cogatur communicare, *l. ſi quis ſocietatem, 75. eod.* Et fructus quoque *l. videamus 38. §. ex cauſſa, de vſur. lib. 22. P. tit. 1.* dotes, *l. ſi ſocius pro filia 82. pro ſocio.* cum onere, *l. actione, §. ſi vnus, eod.* omne id quod impenſum eſt occaſione ſocietatis, vel damnum accedens ſine culpa alicuius quoque communicandum ad modulum lucri, *l. ſi vnus ex ſociis 68. §. ſi vnus, l. ſi fratres 53. §. ſi quis ex ſociis, l. cum duobus §. quidam ſagariam, l. omnes alienum 27. l. pro ſocio 38. pro ſoc. P.* ¶ Illud
25 & † poteſt eſſe conueniens boni viri arbitrio, vt non vtique ex æquis partibus ſocii ſimus, ſi alter plus operæ, induſtriæ gratiæ, pecuniæ in ſocietatem collaturus eſt, *l. 1. quid enim 81. §. pro ſoc.*
26 ¶ Concurrere poſſunt cum hac actione & aliæ aliquando, ex eo quod pactum, factumue eſt, vt præſcriptis verbis, *leg. ſi margaritam 54. pro ſoc.* actio furti *l. rei communis 45. cum 2. ſeq pro ſoc. P.* legis Aquiliæ, *l. ſed etſi 47. cum 2. ſeq. eod.* ſi plagium fiat Fauia, *l. merito 51. eod.* eſt hæc actio pro ſocio rei quoque perſecutoria,
27 *l. ſed actione 50. eod.* ¶ Condemnatio porro hic fit inter ſocios, ſiue vniuerſorum bonorum ſint, ſiue alicuius tantũ rei, in id quod facere poſſunt, id eſt, omni ære deducto alio, quodve dolo malo fecerint quominus poſſint propter fraternitatis ſpeciẽ, quæ verſatur in ſocietate, *l. verum 64. in prin. & §. id quod ſocius pro ſoc. P.* Hocq; beneficium datur fideiuſſori, defenſori ſocii, non autem heredibus, neque patri, aut domino, iuſſu quorum ſocietas contracta ſit, cum filio aut ſeruo *d. l. verum, §. ſed ſi fideiuſſor, & l. ſi. pro ſoc. P.* ſed ita demum priuilegio ſocius vtetur, ſi ſe ſociũ fuiſſe fateatur, non aliter, *l. ſi vnus 68. §. fin. pro ſoc. P.*

## De Mandato & Procuratore. Cap. 5.

Inſtitut. Lib. 3. tit. 27. P. 17. tit 1. C. 4. tit. 35.
Lib. 3. P. tit. 3. Lib. 2. C. tit. 13. Lib. 1. Decret. tit. 38.
Lib 1. Sex. tit. 19. Lib. 1. Clemen. tit. 11.

1 *Mandati diuiſio, in coactum & ſpontaneum.*
2 *Mandati & iuſſus diſtinctio.*
3 *Mandatum vt contractus quid.*
4 *Mandatum gratuitum fit proprie.*
5 *Improprie mercenarium.*
6 *Mandatorum tot ſpecies, quot res mandatæ, vt ad lites, negotia, beneficia, &c.*
7 *Mandati diuiſio ex conceptione, generale, ſpeciale, cum libera poteſtate.*
*Procuratorum diſtinctio, ex diſtinctione mandatorum. eod.*
*Tituli de procuratoribus, & mandati differentia. eod.*
8 *Procurator cum libera. totorum bonorum, & ſpecialis qui, & poteſtas.*
9 *Procurator ad lites de mandato fidem facere debet.*
10 *Syndicus quis dicatur, & quomodo differat a procuratore.*
*Actor quis. eod.*
*Procurator quis. eod.*
*Oeconomus quis. eod.*
11 *Mandati materia, & res.*
11. 12. *Mandatum fit de futuro, & re honeſta.*
12 *Meretrici dans vel pro ea fideiubens alterius mandato, non habet mandantem obligatum.*
13 *Euictio in delictis locum non habet, etiamſi mandato alterius delinquat.*
14 *Famulos delinquentes iuſſus domini non excuſat.*
15 *Mandatum quibus & a quibus fieri poteſt.*
16 *Mandati forma diligenter ſeruanda & ſequenda, etiamſi vtilior alia procuratori videatur.*
17 *Negotiorum geſtorum actio affinis mandato.*
18 *Mandatum expreſſe & tacite fit, quomodo.*
19 *Mandati tenetur qui mandatum ſuſceperit non aliter.*
20 *Mandatum quando reuocari non poſſit a mandante.*
21 *Mandatum quomodo morte mandantis, vel procuratoris reuocetur.*
22 *Procuratoris reuocandi iuſtæ cauſſa.*
23 *Mandati actiones, directa, contraria, vtilis.*
*Et pro quibus, & quibus dentur. eod.*
24 *Procurator pro quibus tenetur actione mandati domino.*
25 *Procurator non tenetur de caſu fortuito, niſi ſe ad illum obliget.*
26 *Procurator ex dolo condemnatus infamis eſt, & num. 27.*
28 *Procurator actione contraria mandati pro quibus dominum conueniat.*
29 *Procuratoris impenſæ quomodo ſunt taxandæ.*
30 *Procurator conuenit dominum, vt eum indemnem præſtet.*
31 *Procuratoris damna, & ægritudinis impenſas, an reſtituere teneatur mandans.*
32 *Salarium procurator quando, & quale petere poſſit.*
33 *Mandati vtilis actio cui datur, & pro quibus.*
34 *Mandati finis, & cuius gratia fieri poſſit.*
35 *Mandati ratio cur actionem producat.*

MAndatum † aliud cui coactio ineſt, quod pro iuſſu a ſupe- 1
riore factum ſumitur, cui parere neceſſe eſt *l. non videntur, 128. §. qui iuſſu, & l. velle 4. de reg. iu. ca. quod quis, eod. tit. in Sex.* aliud ſpontaneum, quod a volente tantum ſuſcipitur ex conuentione, de quo omiſſo priore, inſtituta tractatio. Alia ſpecies cõtractuum, qui conſenſu fiunt mandatum eſt, *l. 1. mand. P.* quo & operam noſtram aliis, vt in ſocietate, accommodamus: ¶ Lon-
geque † aliud mandatum, aliud iuſſus, ex quo ſpecialis prodita 2
actio, *l. 1. quod iuſſu. P.* ¶ Mandatum † eſt contractus nominatus, 3
*l. iuriſgentium, de pac.* iuriſgentiũ, bonæ fidei, quo alter alteri negotium alterius gerendum committit: alter autẽ conſentiens ſuſcipit, qui procurator dicitur, a cura ſuſcepta ex mandato do-
mini, *l. de procur. lib. 3. P.* ¶ Hoc mandatum, † proprie & impro- 4
prie ſumitur. Proprie eſt quod gratis ſuſcipitur. Nam mãdatum niſi gratuitum nullum eſt: nam originem ex officio atque amicitia trahit: contrarium porro officio merces: & interueniente pecunia, res ad locationem & conductionem potius reſpicit, *l. 1.*
*§. ſi manda. P. § fin. eod. tit. ap. Iuſtin.* ¶ Aliud † improprie man- 5
datum dicitur, quod eſt mercenarium, dum ſalarium vel debetur, vel promittitur, vel a iudice taxatur procuratori, *l. ſi remunerandi, 6. l. ſalarium 7. mand. P. l. 1. eo. tit. C.* Alia mandati diſtinctio fertur a fine *in l. 2. mand. P. §. 1. eod. ap. Iuſtin.* de qua, Deo
fauente, mox. ¶ Et rurſum † tot mandatorum conſtitui poſſunt 6
diſtinctiones, ſeu diuiſiones, quot ſunt negotiorum diuerſitates, vt ad lites, ad negotia, ad conferenda beneficia, *ca. mandatum, de reſcript. apud Gregorium titul. de mandat. apoſtolicis, in conuen-*
*tionibus Gallicis ſummi pontific. &c.* ¶ Et † iterum alia ratione 7
mandati, conceptionis mandati: mandatum aliud generale, aliud ſpeciale, aliud cum libera poteſtate. Hinc & procuratores veluti relationem facientes ad mandatum, diſtincti, vt ad lites, quibus mandatur litis perſecutio, ſeu defenſio ad negotia adminiſtranda, de quibus potiſſimum agitur in titulo mandati,

vt de procuratoribus ad lites maxime in titulo de procuratorib.
l. 3. l. ante litem, l. is, l. poſt litem, & 17. cum ſimil. de procur. P. Sic
dicimus conſtitui procuratores omnium rerum, & vnius rei, leg.
1. de procurat. P.

8 ¶ Procuratorem † generalem, vel cũ generali mãdato, quan-
do ſine vlla definitione negotium alicui cõmittitur, vel manda-
datur, l. procurator totorum bonorum 63. de proc. in P. Hic & pro-
curator totorum dicitur bonorum, cui eatenus conceſſa videtur
poteſtas, vt tantum adminiſtrare poſſit, & fructus tãtum aliena-
re bonorum qui ſeruando corrumpuntur: non autem res mobi-
les, vel immobiles, vt nec tranſigere poſſit ex vi mandati genera-
lis, niſi approbante, vel ſpecialiter mandante domino, l. manda-
to generali, 60. de procurat. P. l. tranſactionis placitum, C. de tranſact.
Procurator tamen qui generaliter conſtituitur, cum libera ad-
miniſtratione rerum, poteſt nouare, exigere, aliud pro alio per-
mutare, l. procurator cui generaliter 58. & ſeq. eod. tit. de procurat. in
P. procurator contra cum mandato ſpeciali, cuius ſolicitudo cer-
tis limitibus circunſcripta eſt, commiſſa egredi efficaciter non
poteſt, ca. qui ad agendum de procurator. in Sex. l. diligenti manda.
P. Sed & id notabile, non licere quoque procuratori cui data eſt
adminiſtratio libera, id agere, quod dominus non fuiſſet veriſi-
militer facturus, l. falſus procurator, C. de furt. quodve fraudẽ ha-
9 bet, l. creditor 60. §. Lucius mand. P. ¶ Procurator † ad lites maxi-
me & ex mandato fit, & ideo debet ante quam ad litem admit-
tatur docere de mandato, & procuratione ſolemniter teſtata, c.
10 1. de proc. ap. Greg. l. licet eo. tit. C. eo. tit. ¶ Procurator † ꝓprie priua-
torum dicitur: at qui tractat negotia vniuerſitatis, reipub. eccle-
ſiarum, aut collegii, ſyndicus dicitur, & actor & defenſor, leg. 1. §.
quibus permiſſum eſt quod cuiuſ. vniuer. nom. l. item eorũ, §. ſeu ſi ita
decreuerit, eo. tit. l. munerum §. defenſores, de mun. & honor. in P. ad-
de c. 1. & ibi glo. de ſyndico, lib. 1. Decret. tit. 39. Qui autem eorun-
dem bona adminiſtrat, œconomus dicitur l. iubemus, de ſacroſan.
eccl. C. l. omnes, §. præter, & § hoc nihilomin. de epiſ. & cle. C. neque
ciuitas dicitur conſtituere procuratorem, l. neque ciuitas, de proc.
P. neque etiam tutor vel curator pro negotiis pupillorum, ſed &
ii tantum dant actorem, vel defenſorem, l. neq; tutores, C. eo. tit. de
11 proc. P. ¶ Materia, † & res quæ in mandatum veniunt, ſunt lites,
& negotia perſecutio, defenſio, vt diximus ex tit. de proc. admini-
ſtratio, l. ſi remunerandi 6. §. ſi cui mand. P. factum: vt ſi manden-
tur pollienda, ſarcienda ve veſtimenta §. ſi mand. ap. Iuſtin. vt fide-
iubeat quis, emat aut vendat, & ſic de ſimilibus: hoc tamen ob-
ſeruato, vt mandatum de facto futuro, non de præterito ſit: quia
mandatum non poteſt interuenire de eo quod iam factum eſt,
l. ſi vero nõ remunerandi 12. §. ſi poſt creditam, mand. P. l. ex manda-
12 to 20. eo. ¶ Et † rurſum quod mandatur honeſtũ eſſe debet: quod
mandatum obligatorium non ſit contra bonos mores, §. illud, de
mand. ap. Iuſtin. aut rei turpis, l. ſi remunerandi 6. § rei turpis, man.
P. l. quod ſæpe, §. veneni, de contrah. emt. P. veluti ſi adoleſcens lu-
xurioſus mandet tibi, vt pro meretrice fideiubeas, & tu ſciens
mandatum ſuſceperis, non habebis mandati actionem. Idipſum
quoque obtinet, ſi mandauerit tibi, vt meretrici pecuniam cre-
das: quia ſimile eſt, ac ſi perdituro ſciens credideris, & aduerſus
bonam fidem, d. l. ſi vero nõ remunerandi 12. §. ſi adoleſcens, l. ſi quis
cum pro emt. in P. Eodem modo, qui ædem ſacram ſpoliandam,
hominem vulnerandum vel occidendum, mandatum ſuſcipiat,
nihil iudicio mandati conſequi poteſt, propter turpitudinem
mandati, l. ſi mandauero tibi, vt pro me 22. §. qui ædẽ ſacram mand.
13 P. ¶ Quod † intelligi par eſt, videlicet ne poſſit experiri contra
mandantem, vt a delicto, qui mandatum exſecutus eſt liberetur
a pœna, vt in aliis fit, Paul. l. ex mandato 20. eo. P. Siquidem vterq;,
& qui mandat delictum fieri, & qui exſequitur, reus eſt criminis,
& pœnæ obnoxius, c. 1. & fin. de homicid. in Sexto. quia obligatio
naſcitur ex maleficio, & ex reipſa quæ fit, l. ex maleficiis 4. de actio.
14 in P. ¶ Et † in delictis non eſt locus euictioni, vt nec immunis a
pœna ſeruus ſit, ſi iuſſu domini vel furtum vel homicidium, vel
aliud delictum commiſerit: nec in omnibus rebus ſine pœna
domini dicto obediens eſſe ſolet, leg. ſeruus non in omnibus, eodem
titul. de actio.

15 ¶ Perſonæ † a quibus mandatum fieri poteſt, & a quibus ſuſ-
cipitur, ſunt, in ſumma quæ ſe obligare efficaciter poſſunt, &
quibus non eſt prohibitum, l. mutus & ſurdus 41. de procur. in P.
de quibus in vniuerſali libro contractuum tradidimus: poteſt &
procurator, qui adminiſtrationem ſuſcepit, & alteri mandare,
vel alium ſubdelegare, & in lite proſequenda lite cõteſtata, non
ante, l. ſi procurator 8. §. ſi quis, manda. l. neque, C. de procura. l. ſer-
uum, & l. mutus, de proc. P. Et tutores mãdare contutori poſſunt,
vt ſeruum emat pupillo, naſciturque obligatio inde, d. l. ſi procu-
ratorem 8. §. ſi tutores. Mandat abſens, l. ſi hereditate, §. fin. l. 1. mand.
P. abſenti, & dominus libero homini, qui ſibi bona fide ſeruit,
Pompon. l. ſi is qui 13. §. fin. commoda. lib. 13. P. tit. 5. dummodo ſci-
ret ſe liberum: alioquin enim, ſi putaret ſe ſerum, non naſcitur
actio mandati, quod nõ habeat ſeruus actionem, & voluntatem
liberam, ſed negotiorum geſtorum, apparente poſtea eum eſſe
liberum, Paul. l. at qui natura 20. §. ſi libero, de negot. geſt. lib. 3. P.
tit. 5. mandat tamen recte ſeruus alteri, verumtamen non ſibi,
ſed domino acquirit actionem, Paul. l. ſi mandauero 21. §. fugiti-
uus. manda. P. Et ſi ſeruus extero ſe mandat emendum, nullum
mandatum eſt. Vlpian. in l. ſeruus 19. §. Papinia. in l. cum ſeruus 54.
manda. P. Poſſunt vnus & plures mandare, Vlpian. in l. cum man-
dato 21. mand. P. l. 3. de neg. geſt. P. vni & pluribus, Scæuola, l. cre-
ditor 60. §. duobus man. P. filiofamilias quoque mandatur recte,
Paul. l. quod filiofamilias 61. manda. P. l. mandaſti, de negot. geſt. P.
Vlpia. in l. filiusfamilias 8. §. ipſe quoque, de proc. P. & ipſe quoque
mandare poteſt in negotiis, in quib. datur ei ſuo nomine actio,
d. l. filiusfam. in prin. Similiter & in ſeruis, in his quæ facere poſ-
ſunt dicendum, l. ſeruum quoque, de procurat. P. Plura de iis qui
conſtituere procuratores, quiue cõſtitui poſſint, tradit Hoſtien-
ſis de procuratoribus in Summa, videto.

¶ Forma † mandati autem inſpicienda eſt, vt ſecundum eam 16
probe exſequatur procurator mandatũ: nam qui exceſſit, aliud
quam mandatum eſt facere videtur, vt reſpondit Paulus. Et ſi
ſuſceptum non impleuerit tenetur, l. diligenter 5. mand. P. cui ad-
ſtipulatur Iulianus, l. ſi quis pro eo 46. eod. tit. P. & alii, l. cum man-
dati 12. eod. tit. C. Conſenſus porro huic formam dat, ideo per
nuntium quoque, vel per epiſtolam mandatum ſuſcipi poteſt:
item ſiue per rogo, ſiue volo, ſiue mando, ſiue alio quocunque
verbo ſcripſerit, mandati actio eſt. Et in diem differri & ſub con-
ditione contrahi poteſt, Vlpia. l. 1. manda. P. §. mandatũ 2. eod. tit.
apud Iuſtinianum Iulianum l. 2. hereditatem 32. eod. l. 1. §. fin. de pro-
cur. P. l. 3. & 4. eod. tit. P. dummodo animus & obligandi adſit, &
conſenſus: & verba quodammodo mandatum referant. ¶ Nam
ſi aliunde † ſine mandato quis gerat, negotia abſentis, non dãtur 17
actiones mandati, ſed negotiorum geſtorum, l. ex maleficiis 4. §.
1. de act. P. Quare neque verba alia mente prolata, quã mandan-
ti inducunt obligationem hanc, veluti exhortatoria, ob hoc, de his
qui notantur infam. P. perſuaſoria, l. 1. §. idem Pomponius, depoſit. P.
commendatitia l. idem § ſi quis ea quæ, l. ſi vero non remunerandi,
5. cum quidam mand. P. l. item ſi ſerui, §. non commendando tãtum,
de negot. geſt. P. ¶ Fit † & mandatum, vt quid fiat poſt mortem 18
mandantis, l. ſi vero, non remunerandi 12. & l. ſeq. mãdat. P. l. ſi quis
alicui 27. §. 1. eod. l. fin. de ſolut in P. lib. 46. tit. 3 Et expreſſe & ta-
cite mandatur: expreſſe quomodo fiat, dictum: cui ratihabitio
iungi poteſt eius quod factum eſt, doctores, in l. Iulian. qui ſatiſd.
cogan. P. tacite autem qui patitur ab alio mandari, vt ſibi mande-
tur, mandaſſe videtur, Vlpian. in leg. qui patitur 18. & l. qui fide 53.
mand. P. l. ſi fideiuſſor 6. C. eod. tit. ¶ Ceterum † ſciendum eſt, ita 19
demum obligationem ex hoc contractu oriri, ſi is cui mandatur,
ſuſceperit, vel acceptauerit mandatum, non aliter. Sicut autem,
inquit Paulus, liberum eſt mandatum non ſuſcipere: ita ſuſce-
ptum conſummari oportet, niſi renuntiatum ſit. Renuntiari au-
tem ita oportet, vt integrum ius mandatori reſeruetur, per ſe,
vel per alium eandem rem integre explicandi: aut ſi non, redun-
det in eum captio, qui ſuſcepit mandatum, Paul. in l. ſi mandaue-
ro, §. ſicut autem manda. P. § mandatum eo. tit. ap. Iuſtin. ¶ Item
exigitur † vt perſeuerauerit mandator in voluntate mandata vſ- 20
que ad exſecutionem mandati: nam ante quam procurator con-
ſtitutus exſequatur mandatũ poteſt reuocare, & ceſſat mandati
actio, quia exſtinctum eſt mandatum finita voluntate, leg. ſi vero
non remunerandi, 12. §. ſi mandauero mand. P. re enim integra, ſi
reuocatum fuerit, euaneſcit §. recte quoque eod. tit. ap. Iuſtin. cap.
in cauſſis, & ibi gl. de elect. l. iudicium ſoluitur, de iudiciis. ¶ Idipſum
accidit † ſi integro mandato, mors alterius interueniat, vel eius 21
qui mandauerit, vel eius qui mandatum ſuſceperit, §. item, ſi ad
huc, de manda. ap. Iuſtin. Paulus, in l. & quia 6. de iuriſ. omn. iudic.
lib. 2. P. tit. 1. Paul. l. inter cauſſas 26. Caius, l. ſi quis 27. §. morte man-
da. P. l. mandatum 57. eo. P. & l. man. 15. C. eod. ita eſt locus in hoc
contractu pœnitentiæ, eo tamen obſeruato, vt qui mandatum
reuocat, ſignificet procuratori, alioquin non officiat reuocatio,
re integra, quo minus geſtum per procuratorem eum non obli-
get, Paul. in l. ſi mandaſſem 15. manda. P. l. pater. de mann. vind. P.

c. ex parte

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*c.ex parte,decreui,33. de reſcript.* Et vtilitatis quoque cauſſa rece-
ptum eſt vt iuſta ignorantia mortis mandatoris interueniente,
quod geſtum eſt a procuratore eius poſt mortem eiuſdem non
reuocetur, *d. §. item ſi adhuc, & d. l. inter cauſſas, & l. ſi præcedente
mandato,58.mand.P.* Ex parte etiam eius, qui ſuſcepit mãdatum,
ſi poteſt id explere, deſerere officium non debet, alioquin quan-
ti interſit mandatoris damnabitur. Si vero intelligat ſe id offi-
cium implere non poſſe, idipſum cum primum poterit debet
mandatori denuntiare, vt is, ſi velit, alterius opera vtatur. Quod
ſi, cum poſſet denuntiare, ceſſauerit, quanti mandatoris interſit
tenetur. Sed ſi aliena ex cauſſa non poterit renuntiare, ſecurus e-
22 rit, *leg. ſi quis alicui 27. §. qui ſuſcepit, mand.* ¶ Liberam † eſſe re-
uocationem mandati conſtat, vt, ſecundum Bartolum, huic fa-
cultati pacto renuntiari non poſſit, *Bart. in leg. cum precario. de
precar. in P.* Nam iuſtæ cauſſæ oriri poſſunt, ex quibus etiam is,
qui cœpit mandatum exſequi, reuocari poteſt: vt ſi is furere cœ-
perit, *l. qui ſeruum 47. & l. ſi quis alicui 48. de acquir. her. P.* ſi ini-
micitiæ capitales inter dominum & procuratorem interuene-
rint, vel dignitas acceſſerit procuratori, vel reipublicæ cauſſa af-
futurus ſit, *Vlpia. in l. filiusfamilias 8. §. fin. de procurat. P.* aut ſi va-
letudinem, aut ſi neceſſariam peregrinationem alleget, *Caius l.
aut ſi valetudinẽ 9. eod. tit. de procur. P.* vel hereditas ſuperueniens
eum occupet, vel ex alia iuſta cauſſa, *Vlpian. in l. vel hereditas 10.
eodem tit.*

23 ¶ Ex † hoc mandato dantur actiones, directa, contraria, vtilis.
Directa perſonalis eſt, *l. mandati 4. de fideiuſſor. lib. 8. C. tit. 41.* quæ
datur mandatori, *l. ſi vero 12. §. fin. mand. P.* & eius heredibus, *l. ſi
mandauero, 22. §. fin. mand. P. l. ſi mandato Titii 59. eod. P.* & ei qui
mandatum ſuſcepit, in eum cui iterum mandauit, *l. ſi procurato-
rem, 8. §. ſi quis mandauerit, mand. P.* agit: & dominus ex manda-
to ſerui, *d. l. ſi mandauero, §. fugitiuus*, videlicet contra procura-
torem, & heredes eius, *videlicet vtili actione, vt paulo poſt dicemus.*
Nam etſi exſtinguatur, vt antea diximus, mãdatum morte alter-
utrius, tamen obligatio aliquando durat, *l. inter cauſſas 26. man-
dat. P.* Filiofamilias mandato facto, eoq; emancipato, & in eum,
& patrem de peculio intra annum agitur, vt ait Paulus, *l. quod fi-
liofamilias 61. mand. P.*

24 ¶ Agitur † directa, ſi procurator fines mandati non ſeruaue-
rit, ſi interſit mandatoris, alio modo quam mandatum erat, non
fuiſſe factam, non aliter: non enim datur, niſi quatenus intereſt
mandatoris, non etiam ſi non interſit, *Vlpian. in leg. ſi procurato-
rem 8. mand. in P. l. ad comparandas. C. eod.* Bona fides maxime in
hoc mandato quoque conſideratur: nam & electio fit fidei certi
hominis in hoc contractu, *Papin. in l. mandatũ 57. mand.* Et proin-
de, ſi mandatarius mandatorem in aliquo decipit, vel ſi quid do-
lo malo gerat hoc iudicio mandati reſarciet, vt ſi mandauero tibi
vt excuteres vires hereditatis, & tu, quaſi minoris ſit eam a me
emeris, vel ſi vt excuteres vires eius cui erã crediturus, & tu ido-
neum eſſe renuntiaueris, *Vlpian. in l. ſi mandauero, 42. eod. P.* ſi
nolit perſequi procurator quod perſequi poteſt, aut non exege-
rit quod exigere poteſt, aut nolit ſoluere quod exegerit, in quo
doloſe verſari dicitur ab Vlpiano, *in l. dolus eſt 44. l. ſi procurato-
rem, §. dolo, eod. tit. leg. 1. in fin. depoſit. P.* Reſtituere quoque cogi-
tur procurator omne emolumentum, quod ex mandato ſuſce-
pit: quia bonæfidei hoc congruit, ne de alieno lucrum ſentiat &
ſi pecuniam mandantis habeat, ex mora vſuras dependet, & ab
aliis acceptas, *Vlpian. in l. idemque 10. §. ſi procurato. & ſeq. Paul. in
l. ex mandato 20. l. ſi vero non remunerandi, 12. § dedi tibi, Africa-
nus in l. qui negotia 34. manda. P.* ſi tamen ſine mora geſtor apud
ſe pecunias domini habuit otioſas Scæuolæ diſtinctio ſequen-
da: num dominus fœnerari ſolitus fuiſſet, vt teneatur ad vſuras,
contra, ſi non ſolitus eſſet fœnerari, *l. qui ſemiſſes 13. §. fin. de vſur.
in P.* Et adhuc adhibita, cum debentur vſuræ, legitima taxatio-
ne, *l. pretii rerum 19. C. mand.* Si culpa ſua non fecerit emens pro-
curator fundum domino vt oportuit, condemnabitur: & ſi fru-
ctus ex fundo emto perceperit, reſtituet *d. l. idemque 10. & leg. ſi
mandato Titii 59. eo. tit. P.* Item cum per procuratorem cauſſa læ-
ſa eſt mandatoris, mandati actio aduerſus eum competit, *l. cum
per proc. 11. C. eod.* Et in ſumma, vt aiunt Diocletianus & Maxi-
mianus, *l. ſi remunerandi, §. 1 eo. P.* procurator non tantum de his
quæ geſſit, ſed etiam de his quæ gerẽda ſuſcepit, tenetur. Et tam
propter exactam ex mãdato pecuniam, quam nõ exactam, tam-
que dolum, quam omnem culpam, ſumtuum ratione bona fide
habita, præſtare neceſſe eſt. Sic de dolo & lata culpa, & de eo
quod ad eum peruenit tenetur, *l. contractus 24. de reg. iur. l. a pro-
curatore 13. C. manda. l. ſi procuratorem 8. §. fin. mand. P.* & vltra,
ſi non præſtat quod inde aduenit, tenetur ad id quod mandato-
ris intereſt, *d. l. ſi procuratorem, §. mandati actio, & l. ſi mandaue-
ro 21. §. Iulia. & l. ſi quis alicui 27. § qui ſuſcepit, mand. P.* ¶ Por-
ro † de caſu fortuito non tenetur procurator, *d. l. procuratore, &* 25
*d. l. contractus*, niſi ad illum ſe obligauerit, vt licet, in hoc contra-
ctu, *Neratius, in l. Ariſtoni 39. mand. P. d. l. contractus.* & ſimilibus,
*de pig. actio. C. l. qui fortuitis, & in l. 1. depoſi. C. l. negotium, de nego.* 26
*geſt. l. 1. C cum mu.* ¶ Qui † iudicio hoc condemnatur procura-
tor, infamis fit *l. in re mandata 21. C. mandat l. 1. § qui pro ſocio, &
l. furti, §. manda. de iis qui not. infam in P.* ſi propter dolum ſuum
damnetur, non etiam ſi propter culpam, *gloſſ. in d. §. qui pro ſocio.*
& Cicero pro Sexto Roſcio, mandati non minus turpe eſſe iudi-
cium, quam furti tradit. Si omnia autem procurator ex leg. man-
dati fecerit, nihil eſt quod illi poſſit imputari, ſi quid in præiudi-
cium domini, ſecus quam arbitrabatur, reciderit. Nam qui pro-
pria negotia facit, pleraque, vt rerum ſuarum arbiter & modera-
tor, ex animo facit & arbitrio, aliena vero negotia exacto officio
geruntur: nec quicquam in eorum adminiſtratione neglectum,
aut declinatum, culpa vacuum eſt *d. l. in re mandata.* ¶ Et † quæ- 27
ſitum in philoſophia, quidnam foret in recepto mandato re-
ctius, id ne omnino facere quod mandatum eſt, an nõnunquam
etiam contra: ſi id ſperes ei qui mãdauit vtilius fore. Quam quæ-
ſtionem variis argumentis problematice illuſtrauit Aulus Gel-
lius, apud quem perleges, ſi egeas, *lib. 1. cap. 13.* Graue quidem eſt
falli & decipi, ſed grauius & pernicioſi valde exempli, ab eo qui
fidem dedit, & nominatim pollicitus eſt ſupplantari, etſi hoſtis
is ſit, *l. 1. de conſtit. pecunia, in P. l. 1. de pact. in P.* proditionis enim
crimen huic facto ineſſe videtur.

¶ Contrario † iudicio ſeu actione mandati agit procurator, 28
ſeu mandatarius, *d. l. ſi vero non remunerandi, §. contrario, mand. P.*
exſecutus mandatum, non ante, *Paul. l. ſi mandato 45. eo. tit.* At-
que illa contraria dominum mandatorem conuenit, vt deducat,
imputet, vel recipiat ab eo, quos eius nomine in ſortem & vſuras
impendit, *l. 1. C. man.* alioſque ſumtus legitimos, quæ in negotia,
vel lites expoſuit, vel ad fructus percipiendos, *cap. cum pro cauſſa,
de procurat. ap. Gregor. l. qui proprio, §. litis impendia. eod. tit. de pro-
cur. P. l. idemque 10. §. idem Labeo l. ſi vero non remunerandi 12. §. ſi
mandauero, & l. ſi quis mihi mandauerit 16. manda. P. l. procurato-
rem 11. l. ſi ſecundum mandatum 14. & l. ſi contra 20. C. eod. tit.* etſi
procurator negotio finem adhibere non potuerit, *Papin. in l. qui
mutuam 56. §. fin. mand. P.* & quamuis in iudicio non obtinue-
rit, dummodo ex mandato proſequatur litem, nõ aliter, *l. etiam,
C. mand. l. ita tamen, § in hac iud. ſol. in P.* ¶ Ita † omnia impendia 29
exſequendi mandati gratia facta, ſi bona fide facta ſunt, reſtitui
omnino debent. Neque ad rem pertinet, inquit Caius, quod is
qui mandaſſet, potuiſſet, ſi ipſe negotiũ gereret, minus impen-
dere, *l. ſi quis alicui 27. § impendia mand. in P.* Niſi forſan ſalarium
procuratori ea lege datum fuiſſet, & hoc conuenit, vt ſumtus de
ſuo faceret, id eſt, de ſalario, *d. l. idemque 10. §. idem Labeo, mand.
P.* & niſi perſona procuratoris, & qualitas impenſis minor eſſet,
vt puta, ſi ruſticus qui pedes ire debet voluerit ſibi reputari equi
impenſas *glo. in d. §. idem Labeo, ad verba eum oportere.* vel ſi fiant
ad voluptatem *d. l. idemque, verſi idemque ait*, vel procurator li-
tis ſit in rem ſuam datus, *Vlpian. in l. ſi ſeruus 21. §. 1. & leg. ſi cum
venditor 66. §. ſi ſecundus, de euict. P. lib. 21. tit. 2.* aut fines manda-
ti exceſsit, & deteriorem domini cauſſam fecerit: ſi determina-
ta forma ſit mandati, nam ſi indefinita & incerta, ſufficit vtiliter
negotium geſtum eſſe, nec meliorem fieri deſideramus pro hac
actione, ſed ne deterior fiat, *Paul. l. præterea, 3. 4. 5. Caius l. poteſt,
41. Iulian. in l. ſi quis pro eod. 46. manda. P. l. cum mandati 12. C. eod.*
¶ Agit † inſuper hoc iudicio mandatarius, vt mandator eum li- 30
beret ab obligatione, quam hoc nomine cõtraxit, & ſuſcipiat in
ſe obligationem, *l. Lucius Titius 28. & l. ſi mandato 25. & §. 1. &
ſeq. manda. P.* indemnemq; in ſumma præſtet, ſi quid ex re emta
hoc nomine damni paſſus eſt: ſi ſine culpa ſua paſſus ſit, *leg. inter
cauſſas 26. §. ſed cum ſeruus, mandat. P. l. ſi ſeruus 63. §. quod vero ad,
mand. de furt. P.* ¶ Ceterum non omnia quæ impenſurus nõ fuit 31
mandator, ei imputabit, veluti quod ſpoliatus ſit a latronibus,
aut naufragio res amiſerit, vel languore ſuo ſuorumque appre-
henſus quædam erogauerit. Nam hæc magis caſibus, quã man-
datori imputari oportet, *d. l. inter cauſſas. §. non omnia.* Tradit ta-
men Accurſius hoc de curialitate non debere ſeruari, *glo. in d. §.
non omnia, in verſ. mandato, in fin.* æquũ enim eſt, vt qui amice pro
aliorum negotiis ſe periculis ſine culpa expoſuit, damnũ ex offi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cio non ſentiat, *in l. ſi quis ex ſignatoribus, quemadmodũ teſtamentum aperia. P.* Poteſt & ante exſecutionem mandati, eo tamen ſuſcepto, mandatarius agere cum eo, qui mandauit facere quippiam, vt ſibi pecuniam det ad faciẽdum, maxime ſi iam quædam ad faciendum parauit, *l. ſi vero, 12 §. fin. & l. idem eſt 13. manda. P.*

32 ¶ Petit † & conſtituit ſalarium, vel conſtitutum exſoluit procurator, adhibito officio iudicis interdum, non ex mandato, *l. ſalarium 7. & l. qui mutuam 56. §. fin. manda. P. l. 1. C. eod. tit.* Et petitur promiſſum, dummodo non ſit conſtitutum pacto aduerſante bonis moribus, vt ſit de litis quota vel parte lucranda per procuratorem, quod improbum, *l. ſalarium 7. de procurat. C. l. ſi contrah. 20. mand. C. l. litem de procu.*

33 ¶ Vtilis † actio directa domino datur ex negotio geſto per procuratorem, aduerſus eum qui cum procuratore contraxit, *l. in cauſſæ cognitione 37. & l. ſi procurator meus 38 de procurator. P. l. quod procurat. eod. tit.* Quia & is in dominum, qui pro procuratore fideiuſſit, agit, *l. idemque, §. item Papinianus, mand. P.* Vtili, contraria etiam experitur heres mãdatarii, qui directa agere non poteſt in mandatorem, *l. ſi quis alicui, 27. §. morte, manda. P. ita intellige, l. ſi præcedente 58. eod. P.* ſicut nec directa mandator in heredem mandatarii, *l. mandatum 57 eo tit. P* Eſt enim hęc actio perſonalis, & in ea de fide certi tantum hominis agitur: & poſt mortem tamen durat obligatio. Ita M. Druſus prætor Vrbanus iudicium reddidit. Et quanquam ſubtilitas iuris hoc non admittat, propter quam Sextus Iulius prętor ei, qui cum herede agere vellet mandati iudicium non reddidit, tamen id cauſſa vtilitatis admittere debet, vt refert auctor Rhetoricæ ad Herennium, lib. 2.

¶ Fines † propter quos mandatum fiat, ſunt ſex. Nam inter- 34
dum mandatum fit a nobis: vel noſtra tantum cauſſa, vel aliena tantum: vel noſtra & aliena ſimul: vel noſtra & mandatarii: vel mandatarii & alterius cuiuſdam: vel ſola mandatarii, quod vltimum non parit obligationem, ſed proprie inſtar conſilii eſt, *l. 2. mandat P. §. 1. eod. tit. apud Iuſtinian.* cuius nulla eſt obligatio, ſi fraudulentum non ſit, *l. concilii 47. de reg. iur. ca. nullus, eod. tit. in Sex.* cum liceat cuique apud ſe explorare, num conciliũ illi conueniat. Verumtamen ſi quis aliquid non fuiſſet aliter facturus, niſi mandatum illi fuiſſet, nec illi denegandam actionem mandati contrariam, placuit, *leg. ſi remunerandi 6. §. ſi tibi, mand. P.*

¶ Ratio † iſtius contractus eadem quæ procuratorum eſt, 35
quorum vſus per quam neceſſarius eſt, vt qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint vel agere, vel conueniri. *Vlpianus, in leg. 1. §. verſus, de procur. P.* Ita, vt ait Cicero *pro Sex Roſc.* in mandatis operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur. Nam & officium amici eſt mandatum ſuſcipere gratis, *l. 1. manda. P.* Quare & voluntatis dicitur eſſe ſuſcipere mandatum, neceſſitatis conſummare: ſuſcepiſſet enim forſan alius, ſi is non ſuſcepiſſet, *l. in commodato, §. ſicut commod. P. 17.*

# DE CONTRACTIBVS ANOMALIS LIBER *XXVIII.*

## De Contractibus innominatis, & de ſpecie illorum, do vt des. Cap. 1.

1 *Contractus innominatus quare dictus ſit.*
2 *Contractuum innominatorum quatuor ſpecies.*
3 *Permutatio an ſit contractus innominatus.*
4 *Permutatio tripliciter fit.*
3. 4. *Præſcriptis verbis actio.*

1 HActenus † de nominatis contractib. egimus, nunc vt de innominatis pauca agamus, operæprecium eſt. Porro innominati dicti, non quidem quod nomine aliquo omnino careant, ſed quod vnius nominis negotium tantum non habeant, & ad multa negotia vnica appellatione pertineant, & ad plura extendantur, nulla data vel prodita vulgari, vel ſingulari a iure pro negotio, actione. Quo ſit, vt ceſſantibus iudiciis proditis, & vulgaribus actionibus, cum proprium nomen inuenire nõ poſſũmus, facile deſcendamus ad eas, quas in factum appellamus, *l. 1. de præſcript. verbis, lib. 19. P. tit. 5.* & præſcriptis verbis, *leg. 2. & l. ſi tibi area, 14. §. ſi. eod. tit.*

2 ¶ Generale † nomen tractationis horum contractuum, ob rem dati dicitur, quod diuiditur in quatuor ſpecies: aut enim do tibi, vt des: aut facio, vt des: aut do, vt facias: aut facio, vt facias, *l. naturalis 5. §. eo. P.* Simplices hic duæ ſpecies, do vt des: facio vt facias: ex quibus aliæ miſtione naſcuntur. Pertinere autem iſtæ formulæ contrahendi poſſunt ad alias nominatas conuentiones: verumtamen tunc illæ proprium nomen accipiunt, omiſſo communi, *l. iuriſgent. de pact. in P.* quare generale non conſideratur, nec genus, ſed ſpecies Hoc planum fiat exemplis: ſi do pecuniam vt rem accipiam, eſt contractus, do vt des, *leg. fin. de condict. ob. cau. da. P.* tamen tranſit in nomen emtionis, *leg. naturalis 5. §. etſi quidem de præſcript. verb.* videlicet ſi in quantitate, & ratione æſtimationis & pretii rei detur ea pecunia, non aliter, *leg. 1. de contra. emt. P.* Rurſum qui rem dat, vt rem accipiat, permutare videtur, & re ipſa contrahere, *leg. 1. de rerum permuta.*

3 ¶ Et † ita permutationem quidam connumerant inter contractus innominatos. *leg. gloſſ. in epigram. tit. de rerum permut. C.* eoque officia hominum, & actiones, & res mutuo commutantur. Et iterum Paulus permutationem reſtringit ad ſpeciem contractus, do vt des ſpecialius: ibi, *& ſiquidem pecuniam dem vt rem accipiam, quia nõ placet permutationem rerũ emtionem eſſe, &c. non dubium eſt naſci ciuilem obligationem, dict. leg. naturalis, §. etſi quidem.* Quamobrem rubricæ de rerum permutatione, in Codice Iuſtinianeo, ſtatim annectitur, & de præſcriptis verbis, *libr. 4. C. Iuſtinian. tit. 6.* quod ea actio detur pro permutatione. Et in Pandectis eadem ratione ſubiicitur titulus de præſcriptis verbis, titulo de rerum permutatione. Veluti actione generali exſiſtente præſcriptis verbis, quæ & datur pro permutatione aliquando, *l. rebus certa lege traditis 16. de rerum permutat.*

¶ Tripliciter † namque fieri poteſt permutatio. Primum nu- 4
da & ſola promiſſione, quo caſu non oritur actio, *leg. ex placito, 3. C. de rerum permuta. l. 1 §. permuta. autem, eod. tit. in P.* Secundo interueniente ſtipulatione, ex qua datur actio ex ſtipulatu, *dict. l. ex placito.* Tertio intercedente ex vtraque parte rerum traditione *dict. leg. 1. §. permutat. autem.* in qua ſi ex altera parte res aliena tradita permutationis nomine ſit, agitur condictione tantum ab eo, qui rem ſuam tradidit vt repetat, quaſi re non ſecuta, non ad id quod intereſt, *dict. leg prima. §. fin. de rerum permut. P. l. quoniam aſſeueras 5. l. emtio. 7. C.* præſcriptis tamen verbis actione id quod intereſt peteretur, *l. naturalis §. etſi quidem, de præſcript. verb. P. l. cum precib. 4. §. fin. & l. fin. C. de rerum permuta.* vt in reliquis contractibus innominatis, do vt des obſeruandum eſt.

## De Tranſactione. Cap. 2.

Lib. 2. P. tit. 15. Lib. 3. C. tit. 4. Lib. 1. Decret. tit. 36.

1 *Tranſactio quid.*
2 *Num Contractus innominatus.*
3 *Quod ſeruari debeat vt res iudicata.*
4 *Tranſactio generalis, & ſpecialis.*
5 *Tranſactio generalis, vniuerſalis, indefinita, ad quæ extendatur.*
6 *Tranſactio ſpecialis quæ, & quomodo tranſactio concipienda ſit.*
7 *Tranſactio de quibus fieri poßit rebus.*
*Lis dubia ſemper. eod.*
8 *Tranſactio de iudicato non fit.*
9 *Tranſactio de crimine quomodo valeat.*
10 *Adulterii de crimine tranſigi nequit, quare.*
10. 11. *Tranſactio de raptu, vt nec de tranſactione, valet.*
12 *Tranſigere non licet de criminibus quæ non habent pœnam ſanguinis excepto crimine falſi.*
13 *Tranſigere de vllo crimine non licet, iure pontificio, & contra 14.*
15 *Tranſactio de criminibus quæ infamiam habent infamat.*

*De inin-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN